Q. D. B. V. 9.

# MEDIATOR.

PRAESIDE

DNO. PHILIPPO MÜLLERO,

SS. THEOL. D. EJUSDEM AC ELOQVENTIÆ ET POES. PROFES. PUBL.

PUBLICÆ DISQUISITIONI

*IN ACADEMIA JENENSI*

ad diem Mart. 1678.

in Acroaterio Philosophorum

PROPOSITUS

*ab*

ERNESTO FRIDERICO Meurern/

TENSTAD. THURING.

AUT. & RESP.

---

JENÆ,

Typis BAUHOFERIANIS.



# CAPUT I.
# MEDIATOREM DENOMINAT ET PROPONIT.

§. I



Magnæ Combinationis in naturâ beneficium meritò trahere dicitur conservationem omnium, rem enim qvamlibet unionis vinculo conservari ejusqve ope in naturali suo degere statu, nemo non facilè asseret. Tota rerum universitas complexu variorum corporum mirè amicabili perstat; eoqve violato, fit, qvod Poëta *Metamorph. lib. I. F. I. v. 15.* exprimit, chaos:

*Qva fuit tellus, illic & pontus & aer.*
*Sic erat instabilis tellus, innabilis unda,*
*Lucis egens aer, nulli sua forma manebat,*
*Obstabatqve aliis aliud: qvia corpore in uno*
*Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,*
*Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.*

*Insitus* is à natura naturante appetitus est, & ordinata discretio summa coalescendi vis ac gratia. Qvod ut in naturalibus corporibus ita procedere; sic qvoqve in societatibus humanis, qvippe qvæ certi generis sunt uniones, fieri assolet; & hinc, *Savedrâ Symbol. 61.* asserente, Regnum, qvod è societatibus constituitur, ac nil aliud est, *qvàm multarum civitatum populorumqve unio*, decachordo comparatur. *Intelligentia præsidet, imperant plures digiti, paret vero nervorum multitudo, qvasi*

*populus qvidam, qvi attemperati sunt omnes inter se & concordes in harmonia, non particulari & privatâ, sed communi & publicâ, ita ut majores à minoribus minime dissonent.* Concentus seu unio si hæc evertatur, totum Imperium evertitur.

§. 2. Qvo optabilius est & naturæ rupturas suorum fœtuum hiantes protenus & apte jungendi studium, & probatior rationi humanæ cura inter sui similes & secum eam integritatem partium & voluntatum restituendi. Divina in eam unionis operam imperia nota sunt. Nec igitur segniter elaboratum à prudentibus bonisve quibuslibet. Cum verò hæc rectius restitui non possint, qvàm certo & probabili *Medio*, ideò *Mediatorum* usus non sine Deo invaluit. Nos igitur, accedente orbis Christiani corruptissimo statu taliqve medio salutis indigente, de eo qvædam trademus. Ac prius qvidem *Mediatoris natura*; Inde ipsarum *Partium erga Mediatorem officium* proponendum & explicandum veniet. Hoc utrumqve ego, pro ætatis & ingenii infirmi modulo, ad unum liberalis exercitii argumentum; ne qvis, ultra crepidam me judicare, indignetur; divinâ *Unici Mediatoris* ope, sum ostensurus.

§. 3. Ex ordine autem thematis simplicis, ac rei necessitate, *Nominis* ipsius explicationem prius attendemus. *Mediator* ergo verbale, & à *mediare* est, ut ab amare amator, *Voss. l.3. de vit. serm. c.18. Medius* verò unde oriatur de hoc dissentiunt inter se autores: qvidam à Græco *μέσος*, cum Scaligero, id deducunt. Vossius à *μεσίδιος* per Syncopen; alii à *modo*, i.e. *mensura* volunt, undè *medius*; huic adstipulatur & sententiæ, qvod sit ab Hebraico מַד sive מִדָּה i. e. *metrum*, qvia metiendo medium possit inveniri, vid. Voss. *Etymolog.* A *medio* est *mediare*, unde verbale, *Mediator*, ac plura id genus analogiâ apertâ. Qvamvis verbum illud *barbarum* dicatur *Vossio d. l.* & ante ipsum *Calvino Lex. Jurid. h. v.* Eoqve negat Vossius utendum eo esse extra sacrum argumentum; cum opus non sit. Sed barbaries ea nonnisi in

usu

usu vocis sita est, analogia planè est latina, usus ipse tam antiqvis autoribus Tertulliano, Prudentio, Ambrosio, Augustino & aliis probatus & hactenus in civili qvoqve negotio prævalens, facilè liberatur à nota barbariei improbatioris, qvalis est vocum planè exoticarum: ut ut enim novum & barbarum fuerit, novitatem tamen & barbariem perdidit, *Voss.* de talibus *Inst. Rhet. l.4 c.5 5.s.* Licet vicissim cum eodem *Voss. d.l. s.3. minus eorum diligentiam probemus, qui in sacrarum literarum translatione, ut præter cæteros puritati studuisse videantur, viris eqvisque fugiunt voces Ecclesiæ usurpatas: simul & idiotismos linguæ sanctæ à versionibus suis quasi furcillis arcent*; ob qvod Castalionem latinismi præposterè studiosum *Beza Præf. in N. T.* acriter impugnat.

§. 4. Medii porrò non una est significatio, percensente *Becmanno in Orig. L.L. Medium* 1. dicitur, quod inter extrema consistit; sic *Medulla*, qvia in medio ossis; *mensa*, qvasi *mesa*, qvia in medio poneretur, apud *Varr. & Plutarch. Symp. 8. q. 61. mesenterium*, μεσέντερον Medicis ita nominatur, qvod sit in medio intestinorum collocatum, hinc *dimidium*, *dimidiatum*, qvasi *dismediatum* & inter partes duas pares divisum, *Agell. l.3. c.14. Meridies*, olim *medidies*. In sacris *Actor. 26. 13.* μέσης ἡμέρας. *Cic. ad Brut.* ita: *ipsum meridiem, cur non medidiem*; sic *meridies* noctis pro medio noctis. *Mediastinus* formatur ut clandestinus, matutinus à *medius*, *h.e.* qvi in medio versatur & obvia qvæqve expedit. Porrò cum sanitas sit in modo, hinc & *medium* & *medicina*, habet proportionem virtus cum sanitate, nam illa est animi; sanitas corporis qvædam mediocritas. Itaqve sanitas & virtus in medio una est, extrema verò ægritudines & vitia multa. Ab illo medio, sive mediocritate abscedunt corpora & in morbos cadunt. Ad id medium mediocritatemq; ars ea, qvæ corpora reducit, inde nomen adepta est sibi, ut à modo ac medio *medicina* diceretur. A *modus* item *modestia* i. e. nil aliud qvam virtus,

ſi loqvaris propriè, Virtus ἐν μεσότητι apud *Ariſt. Plautus* conjungit virtutis *modum*, *Moſt. a. 1. Sc. 2.* Qvem qvatenus tenere, aut in extremum alterum propendere rectè poſſis, vid. Ethici, ex iis Maimon. *Canon. 2.* ad eum Gentius.

§. 5. Hinc & *mediare*, à qvo *mediator*, ut à ſervatum ſervator, idem ac intermedium eſſe, vel termino qvaſi communi duo extrema conjungere. *Medius* qvoqve pro *mediocri* ponitur. *Vellejus lib. 2. c. 29.* de Pompejo: *Innocentia eximius, ſanctitate præcipuus, eloqventia medius.* Item *Liv. lib. 9.* *medio* reſponſo pro *dubio* ſeu *ancipiti* dixit. Medii etiam dicuntur *neutri*, qvi inter lites certantium partium *neutrales*, qvod cum neutra parte faciant. Sed *medius* ſubſtantivè acceptum ac idem cum *Mediator* plus importat. Nam *Mediator*, ex uſu tam Eccleſiaſtico qvàm vulgari, potiſſimum *Pacificatorem* notat, ſive eum qvi diſſidentes animis reduxit in concordiam: Sive, ut *Flacius Cl. h. v.* optimè: *qvi inter duos parum inter ſe congruentes, aut etiam invicem ſibi hoſtes medius, & utriusque nomine cum altero agit, promovens aliqvam conciliationem, conjunctionem, ac veluti contractum inter eos, quique tam diu apud utramq; partem alterius nomine laborat, donec eos in aliquem conſenſum, transactionem & denique pactionem deducat.*

§. 6. A quo perperam abit *Ravanellus Biblioth. h. v.* qui generatim *interventu inter plures*, qvaſi è *Gal. 3. 20.* definit, ac modo ſolius *Internuncii* modo *officio confirmantis in unione* includit; prius Moſis, poſterius Chriſti, reſpectu Angelorum electorum quos confirmet in unione cum Deo, probare conatus; & cum Socinianis cornu inflans. *Socinus* enim *de C. Servatore P. 1. c. 7.* contra Covetum ringitur, *Mediatoris* vocem in genere nil niſi *Internuncium inter plures* dicere. ac ad *Bezam in d. l. Gal. 3, 20.* provocat. Objectum verò ſibi *uſum loquendi* erroris accuſat. Cum viciſſim *Grotius de Satisfact. C. c. 8. ſ. 6. Biblioth. Photin. 4. inter Crell. Oper. Polem. T. IV. p. m. 24.* obverteret: *non apud ineruditos tantùm ſed & apud eos qvi elegan-*

tius

*tius loquantur, μεσίτην dici eum qui placat aliquem. Unde Suidas eam vocem εἰρηνοποιοῦ voce interpretatus sit.* Contra Crellius hyperaspistes: *concedi posse totum, sed negari de usu vocis in Sacris.* Contra dicta: *vulgari* ait, *atque imperito loquendi usu factum est, ut is, qui pacem inter duos quoquo modo conciliet,* mediator *appelletur.* Atque fieri potest ut, quod imperito loquendi usu receptum fuit, *postea usurparetur etiam ab eruditis, qui populo, quem penes arbitrium est & loquendi norma, in vocibus solent gratificari, aut ipsi eruditi in vocis hujus, quæ Sacr. literarum, ut Erasmus ad Galat. 3. annotavit, fere propria est, errarent, eaque significatio, quam in sacris literis ea vox habere credebatur, postmodum pro genuina propriaque reciperetur. Nam cum ea vox in sacro codice de Christo prope solo enuntietur apertè, nec desint viri docti, qui negare audeant, Mosi eam appellationem tribui; Christus autem, qui nos cum Deo reconciliasse in sacris literis dicitur, ad Deum nobis placandum inter nos & illum veluti medius intervenisse creditus fuerit; facilè potuit contingere, ut hæc propria istius vocis, etiam ab eruditis crederetur esse significatio, atque à Scriptoribus Christianis (hos enim Grotium intelligere arbitror) qui elegantius loquuntur, in eum sensum usurparetur, sed, ut diximus, in eo non multum est situm, modo de usu sacrarum literarum constet. Quis autem ille sit, à Socino luculenter satis est ostensum,* Hæc ille.

§. 7. Verum, ut ad hæc paucis respondeatur, Grotii argumentum erat tale: Quodcunq; verbum non tantum apud vulgus, sed & apud eos, qui elegantius loquuntur, eum significat, *qui placat aliquem*, illud etiã absolutè in præsenti materia de Mediatore Christo, ita accipi præsumitur. Hanc propositionem negat *Crellius*, primò quia *usus loquendi iste sit vulgaris & imperitus*, secundò, *eruditi soleant gratificari populo*; tertiò, *alium esse vocis usum in Scriptura*; quartò, *errasse eruditos, sensu vocis Scripturario pro genuino & communi usurpato.* Verum (1) *major* hæc, donec urgens necessitas obstet, meritò valet, idque per ipsum Crellium, cui *norma loquendi & arbitrium*

*triumin usu populari* dicitur consistere: qvem tamen imperitè & superbè vocat *imperitum* usum, ac eruditos temerè *gratificatos*, imò *errasse*, contendit ac, ut apparet, uni *Analogiæ* vocis, cum medium duo extrema *utcunq;* distincta intercedere dicitur, adhæret. Cui verò dictum sit, qvod *Qvintil. lib. I. cap.6.* ineptis Analogistis, contra usum nitentibus obvertit: *Non cum primum fingerentur homines, analogia demissa cœlo formam loqvendi dedit, sed inventa est, postqvam loqvebantur & notatum in sermone, qvid, qvomodò caderet: itaque non ratione nititur, sed exemplo, neq; lex est loqvendi, sed observatio, & ipsam analogiam nulla res alia fecerit, qvàm consvetudo.* Porrò fine *cap. sit consvetudo sermonis consensus eruditorum, sicut vivendi, consensus bonorum.* Si igitur *eruditi* & *vulgus* in usu vocis ejus conspirant, ecqvam regulam Crellius suæ locutionis nisi â se ipso & suo Patriarcha Socino petet, ac, ut Qvintil. tales taxat, *inhærebit molestissima perversitate*, somniis suis. (2) Ut non negem, si usus vocis specialis in Sacris exstet, illo in tali materiâ, & quousq; ipsa porrigitur, rectè stari: Jam verò Crellio aqva oppidò hærebit, ut ostendat, hanc vocem in *Sacris* ita accipi. Nam & Analogia doctrinæ Christianæ, & conformitas mediationis Mosaicæ ac Christianæ, & Patrum Tertulliani, Prudentii, Ambrosii aliorumq; non paulo, quàm Crellius & Socinus, fidelius & rectius cum sacris literis agentium consensus longè aliud præ se fert. Incumbit ergo Socino Crellioq; *affirmantibus* usum tàm & vulgo & eruditis, iisq; Christianis & hujus studii probè consciis adversum, ut alicundè idoneè probent. Dicta certè, suis hypothesibus tàm inimica, sollicitasse, & contra usum loqvendi profanum & sacrum impudenter sine ratione blaterasse, nimis indignum sit. Ad autores tamen, ac *Erasmum* primò provocat, sed is: *fortassis*, ait, *& hæc una est ex his dictionibus, qvas, ceu peculiares divinæ Scripturæ, mutare non possumus, nisi placet*, Conciliator *&* Intercessor: Ille verò & dubitanter loqvitur & Synonymis componit

planè

planè in noſtram rem aptis, & uſum loqvendi ſacrum vulgari h.l. adverſari nil minus, qvàm asſerit. Ita Socinus Bezam appellat, miris cum epitheris honoris, qvod ad errorem ſuum facere videatur. Qvid hic vero *d.l. Dixerat Apoſtolus non opus eſſe Internuntio, iis qui inter ſe conſentiunt. Itaque legem cum per internuntium ferretur, non fuiſſe conſenſus ſed diſcordiæ ſignum.* Et paulò antę: *Paulus arreptâ occaſione ex ipſo ferendæ legis modo, eam oſtendit, non modo non eſſe vinculum illud noſtræ cum Deo conjunctionis, ſed etiam certiſſimum eſſe ſignum noſtræ ab illo alienationis. Cedo enim quæ cauſa fuit cur in ferenda lege ſit adhibitus internuntius? Quia Deum ut terribilem ac formidabilem legislatorem ferre non poterat Iſraël. Ergo lex illud non eſt quo Iſraël adjungitur Deo, ſed quo deterrius, internuntium, requirit. Lex, inquam, non eſt appendix illius ſuaviſſimæ vocis: ſum Deus tuus & ſeminis tui, qua nemo non alliciatur. Quamvis autem utatur hoc proœmio, Audi Iſraël, ego ſum Dominus, Deus tuus; ea tamen eſt hujus vocis majeſtas, quam ferre mortalis conditio non poſſit. Dicitur ergo internuntius non eſſe unius, ſed minimum duorum i.e. inter ſe diſſidentium. Nam omnibus lingvis uſitatum eſt, ut qui inter ſe amant, unum eſſe dicantur. Et præterea reſpexit Paulus Dei & hominis conjunctionem in Chriſto, cujus per fidem ſimus participes, ut Joh. cap. 17. v. 21. & 1. Cor. c. 6. 17. & 2. Petr. 1. 4. Id verò quàm verum ſit apparet ex Evangelicæ doctrinæ cum legalibus mandatis comparatione. Nam pro eo quod lex nos perterrefacit, Spiritus docet nos clamare, Abba pater! & magna cum fiducia ad thronum majeſtatis Dei perrumpere, ut filios decet de bona patris voluntate ſecuros, ut infrà v. 26. 28. & 29. Evangelium igitur illud unum eſt, quod fideles omnes in Chriſto coaleſcentes Benedictionem illam gratuitam percipiunt; Ero Deus tuus & ſeminis tui. Quo pudore ergo audent pſeudapoſtoli* (Socinus & Crellius) *legem cum promiſſione conjungere, ut Chriſtum officio ſuo ſpolient?*

§. 8. Ex dictis ante Synonymis alia minus, alia magis ad plenam explicationem & ſignificationem nominis

*Mediator* accedunt; minimùm qvidem *neuter*, ut indifferens ad litem partium; minus *Interpres*, *Internuntius*; magis *Interponens*, *Conciliator*, *Seqvester*, *Intercessor*, *Moderator*, *Gubernator*, *Proxeneta*; proximè *Disceptator*, *Deprecator*, *Arbiter*; optimè ad eundem sensum, *Pacificator*. De differentiis horum in Latinâ, & aliis lingvis Synonymorum, cum ea ordine examinare longius paulò esset, plura addere supervacaneum esse putamus. Vid. Bertachin. Repert. Martin. Lex. Phil. & maximè Autt. qvi rem substratam istis appellationibus pertractant.

# CAPVT II.
# OBJECTVM DECLARAT.

§. I.

Explicatis iis, qvæ circa nomen monenda erant, considerandum venit objectum, qvod distingvimus in materiale & formale. I. Materiale qvidem statuimus *extrema, partes* nempe *de certo qvodam negotio dissidentes*. Proinde necessario ad minimum reqviruntur duo extrema; hoc nominis prima significatio & qvicqvid medii rationem habet, facilè arguit. Qvos & ipsos ab hoc *tertio* diversos esse liqvet. Adversus seipsum neminem amoris odiiq; rationem habere jam pridem ostendit *Aristot. Eth. Nic.* contra Platonis lubricam sententiam. Utut verò plures duobus ad *mediationis* objectum concurrant tamen negari neqvit, exinde duas solùm fieri *partes à se differentes*: causa enim una est & eadem, atq; ita necessum, ut altera aliqvid affirmet, altera neget; hoc si ergo fit oriuntur contradictoria, inter quæ non datur *medium*. Atq; si plures duobus videantur complicari, ut in socialibus bellis solet, e.g. Peloponnesio, Romanorum cum Macedonum & Asiæ RR. æstimantur tamen intuitu oppositionis ad idem negotium, velut bini ex adverso stantes: ac multitudo solùm

mate-

materialiter & per accidens habet sese. Esto id, qvantum intererat singulorum in causâ communi, ab unâ parte militantium, non esse æqvale; idem tamen genere negotii est. Sicut in Societate commercii singuli contribuentes dispari summâ, cuncta tamen ad idem propositum conferunt. Atqve hoc de *Principalib. ac Notoriis Partibus* accipitur.

§. 2. Sunt præterea alii, qvi partibus principalibus sese velut occulunt & applicant, & hinc commodè dici possunt *tecti*: qvi cum fuerint in tempore pacati & compositi, res cum principalibus commodius procedere solet, qvàm si eis neglectis tentetur. puta *agnati, socii aliis in causis, ministri, & qvisqvis principalium ac verarum Partium statum privatum, animumq; suo facto alienare possit â conventione propositâ.* Atq; id non sine ratione politicâ felicius fieri posse videtur, principumqve privatum statum sæpissimè exposcere nullum dubium est; sic Mariæ Stuartæ Parens Scotiæ Regens, Gvisianis obstantibus clanculum, nec cum Civibus nec cum Anglis pacem tueri poterat. Et Ludovicus XI. captabat maximè Anglos proceres, ne Regem suum contra se obfirmarent. Vid. Cominæum. Gallica Catharina Medicæa filios pro libidine jam incitabat ad bellum, jam aversum ibat. Idque fatum regibus incumbere, nil mirum est, cum epidemicus affectus sit hominum; ac rarò existat, qvem non id genus Admissionarii, Ministrissimi, Consultores circumagant, trepiditate animorum vulgatâ, proprio judicio pauca statuendi, statuta per affectum obrepentem invertendi.

§. 3. Sunt verò & alia, qvæ in Partibus, ut eas suo studio *Mediator* verset, præparata velit: Ut 1. Disparitas, partim dignitatis, ne cum tali sese tanto opere conciliari videri velit eminentior: partim juris, ut si cum Rebelli negotium sit. Sic dedignari Romanos sæpiùs legas tractationem inter se & hostem temerarium, adeò ut bellum ἄσπονδον ad perniciem gerere malint, raris *Mediationis* exemplis, in

 bellis

bellis ipsorum, nisi postea, cum Græciæ rebus immiscerentur. Et Hispanos Batavorum conciliationem diu recusare notum est, qvod cum his velut rebellibus sese eatenus exæqvari nollent. Eoq; vel hodiè concordia elusa est tantisper, cum hostium legatos agnoscere pars adversa detrectarit; nedum ut Conciliatoris interventu tanti fierent. Socialium ea bellorum communis fortuna est, ut Duces partium sufficere putent, si secum solis tractetur; Per sese verò concludatur qvod ad minores attinuerit. In qvo statu laudem meruêre Romàni, cum nulli sociorum facilè, præjudicatum in ipso hoc tractandi genere vellent: Ac meliores multis Christum professis, qvi dememores, qvam cum impari ipse Deus Opt. Max. sese non passus solùm sit, sed concupiverit conciliari, fastu exitiabili turgent. 2. Odium internecinum; Inde Romanos tot annis Belli Punici II. nullam pacis mentionem fieri passos, Livius docet. Eamq; legem sibi gloriosus Ordo Eqvitum Johanniticorum Melitæ jam præpotentium dixit: incessabile cum infidelibus barbaris bellum exeqvi. Idq; adduxit Turcos, tot vexationum ab excurrentibus per mediterraneum mare pertæsos, ut repetito conatu Rhodum toto semestri obsessum expugnarent; præoptante Magno Magistro triste exilium, qvàm tributariam pacatamq; cum hoste potentissimo fortunam. V. Megiser. Hist. Bell. Rhod. Sed de his inferius plura in Cap. de Oppositis.

§. 4. Cognito objecto materiali series poscit penitius paulo inquirere II. in *formale objectum*; quod asserimus esse duplex, Professum sive apertum & Tectum. *Professum* quidem dicimus *controversiam, inter partes conciliandas*. Hæc *controversia* 1. In exterioribus actibus agentium deprehenditur; qvi vel per se hostilitatem important, vel indicio sunt animi aversi & in deteriora proni. Prius docent insolitæ excursiones, prædæ, commercia cum hoste nostro; unde nobis ægrè fit. Dico; *insolitæ*; nam inter qvasdam gentes ratio-

nem litis non habent talia; e. c. latrocinia mutua, Homer. ut hodienum in confiniis Hungariæ: eò qvod militaribus viris facultas sese movendi exercendiqve relinqvenda sit; *Vid. Busbecq. Epist. Turc.* & *Hist.* Pactorum inter Hungar. Reges & Portam Ottomann. Posterius indicant cum omissa pristinæ benevolentiæ signa, de qvo Legati Romani Perseum & Prusiam incusabant, qverebantur Rhodii, exosi Romæ, ob Perseum adamatum; tùm negata postulata non incommoda, ut transitus innocui, commercii, commeatus & aliorum abundantium. 2. totiplex est, qvotuplex injuria. *Causa enim justa belli suscipiendi nulla esse alia potest, nisi injuria. Iniquitas partis adversæ justa bella ingerit*, inqvit *Augustinus*, ubi iniqvitatem dixit pro *injuria, quasi ἀδικίαν dixisset, cum vellet dicere ἀδίκημα Grot. de Jur. B. & P. lib. 2. c. 1. n. 4.* cum annotatis auctoris. Ac idem *totidem belli fontes asserit, quot actionum forensium sint origines, ibi enim incipere bellum ubi judicia deficerent.* Qvas causas ad tria posse referri capita putant, *defensionem* nempe, *recuperationem rerum & punitionem.* Qvamvis de tertio genere non satis probare visus sit. *Vid. Zigl. & alios h.l.*

§. 5. Posito objecto formali, *controversia* nempe, qværi possit, sola controversiane, an & aliæ res possint statui circa qvas *Mediator* strictè sic dictus versetur, e.c. *communicationes quoad actus intellectus* e.g. doctrinæ; sic *conventiones, amores, amicitiæ*: uti *Moses internuntius inter Deum & populum Israelicum* dicitur. Respondetur: ut ut non negari possit talia inter duas partes agi solere; veruntamen eos appellari propriè *Mediatores*, qvatenus qvidem in famosiori significatu sumitur, nefas esse ducimus. Potius nominandos censemus *Interpretes, Internuncios*, cætera pleraqve nomina, uti nostrum *Mediatoris*, non nisi imperfecta ratione eis causis accommodari.

§. 6. Socinus tamen d. l. remis velisqve contendit, latius porrigi hoc objectum, ad omne argumentum qvo diversi inter sese per tertium velut interpretem conjungun-

tur. Eoqve invertit loca Scripturæ S. qvæ *Mediatorium officium* in litibus terminandis, per receptam & probatiorem ſententiam, oſtendunt. Mihi eousqve cum procedendum jam non ſit, ſuffecerit repetiiſſe è c. 1. qvod Ille cum ſuis nondum probarit de ſuo affirmatum vocis uſum latiorem eumqve proprium: nec auctoritatem ullam adducat, nomine *Mediatoris* qvempiam uſum fuiſſe in re non controverſa. Aſt qvi affirmat, is ſecundum vulgarem regulam probare tenetur: contra iſte ſuperbi faſtus & dementiæ inſimulandus meritò fuerit, qvi omnes alios in toto terrarum orbe eruditos imperitiæ & erroris accuſaverit, qvi perſvaſum omnes habent *Mediatorem* non dici, niſi qvi duos inter ſe invicem diſſidentes componat & alterum alteri conciliet. Eoqve indigna eſt detorſio luculentiſſimorum locorum, dummodò ſomnium ſemel arreptum de Deo nil hominibus offenſo, eoqve non cupido ullius ſecum reconciliationis, ac falsò aſſertæ ſatisfactionis per Chriſtum præſtitæ, perſvadeat miſeris mortalibus. Qvem vereor ut ullus *Mediator* in angore animi implacabili ac ſevero Dei judicio dignetur ſuâ ope, qvam certè vel inter homines ſibi juſtiùs invicem conceſſuros, ratio ſana commendat; nedum adverſus Deum, cui qvam parum ad placitum reſpondeat humana conditio & vita omnis, intima hominum ſingulorum in ſuismet inceptis diſplicentia & deſiderium meliorum ſatis arguit. Licet per animi cæcitatem epidemicam, qvo genere flagitii primitùs Numen DEI averterimus, nemo aſſeqvatur. Qvod majori melioriqve judicio demonſtrat *B. Lutherus ad dictum locum ad Gal. v. 20.* ibi enim: Wer auf ſein (Pauli) Wort mit rechtem Fleiß Achtung hat / der verſtehet bald / daß er vom Mitler in gemein rede / und nicht den Moſem allein wil verſtanden haben. Ein Mitler / ſagt er / iſt nicht eines einigen Mitler / ſondern wo ein Mitler ſeyn ſoll / da müſſen von Noth wegen zwey Theil oder Partheyen ſeyn: Eine

Eine so beleidiget/die andere so beleidiget wird; Die nun beleidigt hat bedarff eines Fürbitters oder Fürsprechers/die andere aber bedarff sein nicht/daraus wohl zu verstehen ist/daß ein Mitler nicht eines einigen Mitler ist/sondern zweyer Theil/ und solcher zweyer Theilen/so der Sache mit einander uneinig sind/ dennoch ist Moses auch ein Mitler/denn er ist ein Unterhändler zwischen dem Gesetz und dem Volck/welches nicht leiden kan/daß das Gesetz mit Ihnen nach seiner Arth handlen/und sein geistlich Werck in Ihnen haben und ausrichten solt; Derhalben muß dem Gesetze eine neue Gestalt und ander Ansehen gemacht und Ihm auch eine neue Zunge und andere Sprache gegeben werden/das ist/die starcke und gewaltige Stimme/so das Gesetze nach seiner geistlichen Arth und Krafft hat/dadurch es sich in der Menschen Hertzen/als eine gewaltige/lebendige Gottes-Krafft erweiset/und derhalben Ihnen unleidlich ist/dieselbige/sollen sie anders leiden und hören mögen/muß sich verstellen und verändern lassen/in die Menschliche Stimme Mosis.

§. 7. Non sufficit autem *Mediatorem* sive *Pacificatorem, Controversiam* ejusqve causas à partibus assertas cognovisse, sed præterea qvoqve maximopere necessum est, in rei veritatem exactissimâ inqvirere; delata, vera an falsa sint? Nam, præter veras dissidendi ac dignas odio caussas, plura parum decora subesse amant: è qvibus plurima mala orta, & bellis esse prætexta, experientia præcipua nostra magistra docet. Jam pridem *Polybius*, & senior *Thucydides* observarunt, qvibus prætextuum astragalis reges hodiè & heri belligerantes ludant, ad Æsopicum illum Phædro descriptum lupum, ovi exitiosum. Vel enim planè falsam, vel secundariam caussam in vulgus jactant suis Manifestis commentis, ut Memphitici Sacerdotes rostra ibidum imperitis pro religionis irritamento. V. DN. Præses d. h. r. Sic ingentia bellorum incendia specie religionis excitata meminit nostraque patria: qvæ ac talia nil dignius fere habent qvàm à

Caro-

Carolo superbo agitatus currus pellibus onustus, ut Helvetios adoriretur; licet non perindè occidant, DEO malos ampliùs tolerante. Cujus etiam ingenii flagitia hodienum experimur dolentes, ac vindicem tam larvæ, qvàm tectæ atrocitatis Deum imploramus. Ne igitur vitrum lambat, pultem non attingat, adeò frustra fit, oleo operaqve sedulo perditâ, ut fidus *Mediator causas belli* ab utraqve parte investiget, valdè opus est. Has cum *Grot. l. 2. c. 1. de J. B. & P.* distingvimus in causas *justificas*, & *svasorias*; illas cum eodem *num. 1. d. l.* vocamus, *quæ movent sub ratione justi*, has, *quæ movent sub ratione utilis*. Sic Romani Dalmatis bellum indixerunt, ipsi tamen apud exteros hanc afferebant causam, qvod contumeliam legatis suis factam, bello sibi perseqvendâ judicassent, *Polyb. Excerpt. legat. 125.* Talis erat in Antiochum Magnum, liberatio Græcarum urbium in Asia, In Siculos, defensio Mamertinorum. Et qvis vetera reqvirat, si hereditatis petitæ causam pro uxore, à Rege Galliæ bellô ad hunc diem prædominante respicimus?

§. 8. Hoc discrimine neglectô *Mediator* ad falsam sententiam induci potest, numerum causarum obtentarum saltem respiciens, & qvod externâ specie jus maximum minitatur. Sic non causa ut causa sæpissimè adducetur; eoq; videndum an hæc ad partes defendendas sufficiant, sintq; causæ belli impulsivæ, è certô conscientiæ rectæ dictamine. Unde protenus arcem affectuum pravorum invadere, & commodo ariete impellere ac obtinere prosperiùs qveat. *Vitium horum humanum excedit modum. Grot. l. 2. c. 22. de J. B. & P.*

## CAPUT III.

# PRINCIPIUM EXHIBET.

§. 1.

PAcis *principium qvod*, idq; tum *principale*, tum *secundarium* dicimus

cimus esse *personam tertiam eamq; neutram ad litigium*, *qvod alios intricat.* Unde cùm Rhodii Romanis & Perseo Macedonum Regi series offerrent sese Mediatores, illi publicare stultitiam Rhodiorum volentes responderunt apud *Polyb. Excerpt. legat. 88. Rhodios neqve propter utilitatem Græciæ, neqve studio populi Romani, sed pro Perseo legationem eam misisse: nam si pro Græcis legatos mittere in animo habuissent, opportunius illud tempus fuisse, qvandò Perseus Græcorum agros atq; urbes vastabat; toto ferme biennio in Thessaliâ castra habens. Qvod igitur, eo prætermisso tempore, nunc veniant & bellum dirimere conentur, postqvam nostri exercitus in Macedoniam sint transgressi & inclusus Perseus exiguam prorsus salutis spem habeat: perspicuum esse rectè judicantibus, Rhodios legationem misisse, non ad pacem faciendam, sed ad Perseum ex periculo, qvod in ipsis foret, eripiendum. Propterea censere Patres, neqve lautia, aut aliud ullum benignum responsum, legatis dare se debere.* Scilicet prudenter æstimandum est, an qvis sese immittere eis fluctibus dissidentium debeat? Nam & generatim de hoc qværi potest, ecqvis esse debeat ejusmodi neuter? Solon eum honoribus abdicavit, qvi orta seditione neutram factionem secutus esset, *Plutarch. in vit. Solon. num. 39.* Idem qvoq; vult Machiavell. *Princ.* ut suus princeps *verus amicus sit & verus hostis*, remq; totam ex varia dignitate & utilitate judicat. *Naimair. in Lundorp. act. publ. l. 10.* fusè & prolixè hanc rem expedivit, plurimasq; rationes pro utroq; addidit: Nam principem se alterutri parti adjungere debere probatur *è reciprocis subsidiis, nimia alterius potentia, damni magni depulsione, Religionis consortio, felicibus alterius successibus, sui ipsius conservatione, amicitiæ sive fœderis jure, alisq; plurimis cap. 36. ejusd. lib. Neutralitatem* svadent, *pacis præstantia, æqva partium dissidentium potentia, belli incommoda, odium aliorum e furore alterutrius partis, potentia partis hostilis, eventus incertus, amicitia utriusq; partis servanda, caussa dissidii levis, denegato auxi-*

*lio pax citius speranda, præmium seu gratia pro neutralitatis officio, gloria seu honor è rebus compositis.*

§. 2. Verum ut *cæteris paribus* ad partes affirmantis accedamus, rationes pro Mediatione probabiliores videntur. Hoc officium humanitatis initio indicatum, fœditas contentionum, periculum incendii communis, ac Divina voluntas satis arguit. Verus est Romanæ legationis ad Reges Syriæ & Ægypti sententia: *æqvum esse, ut Romanorum socii & inter se pacem servent.* Ac illustre videtur divinæ providentiæ specimen in hoc malorum humanorum genere, qvod semper supersint, qvi contentionibus aliorum sese interponere iisqve modum imponere non recusant. Accedit, Deum hominibus statum & animum paulò alienum à consortio belli pro tempore locoq. addere, ne uno impetu universi inter se concurrant; uti Philippum Macedoniæ Regem tam opportuna ipsi Antiochi Asiæ Regis arma in Romanos nil moverunt ad societatem, offensum perlevi causâ, teste Livio. Ipse benignissimus Deus cum hominem alienâ fraude impegisse nosset, ac nil *medii* superesse, qvo sibi conciliaretur, suggessit ultro, & summo studio adduxit, ut acceptaretur salutare *Mediatoris Christi officium.* De qvo Theologia nos præclarè erudit.

§. 3. Jam ad legem Solonis qvod attinet, ea per ipsam rationem & Plutarchi præcipuè effato incredibilis atq; admiranda est, qvamvis alia conditio sit eorum, qvi in eadem sunt civitate. Atticæ sane LL. Arbitros prius, qvàm judices sub gravi multâ adiri voluerunt; ac arbitros ipsos, ne eam operam detrectarent, pœna statutâ perpulerunt, de qvo vid. *Sigon. de Rep. Athen. l.3. c.5. tot.* Machiavelli æqve periculosam sententiam refutat *Conring. animadv. Polit. in Machiav. Princ. c.21.* & docet: videri consultius neutram partem juvare; nullam esse necessitatem opem alterutri ferendi; si

verò

verò qviescas, neutrius partis inimicitiam subeundam, qvam vitare non possis, alterutram si juveris; sine certi autem commodi spe vicinum aliqvem potentem inimicum reddere, hoc verò est in discrimen remp. conjicere. Inde potissimum contrariæ partis argumentum de nimiâ alterutrius partis metuendâ potentiâ destruit. Verba hæc sunt: *Qvod si tuis auxiliis altera pars vincat, eo ipso augebis potentiam vicini, qvod non vacat periculo, cum intersit potius, vicinos habere non potentes, aut vero multos pari potentiâ, ut mutuâ æmulatione illorum tu sis securus.* Hinc utut objiciatur, amicum adeò parari potentem, & sic sperandam sibi esse in adversis opem, Resp. beneficii lati memoriam raro solere esse diuturnam, exitumqve hujus rei æq; periculosum fore ac leonis cum asino initam amicitiam atq; conjunctionem.

§. 4. Sed hoc negotium, *cæteris paribus*, probabile diximus. Fit enim (1) ut *neutralitate* Tua, socium benè meritum male deseras, (2) ut opportunam ope non latâ officii gratiam amittas. Qvorum prius Rhodii dicto tempore tot vinculis Romanæ Reipublicæ innexi commiserunt. Posterius prudenter advertebat L. Mamilius Tusculanorum dictator, Capitolio per Herdonium Servorum ducem noctu occupato; ac suos cives, præter rationem periculi communis & debitæ fidei, eo qvoqve argumento urgebat ad auxilium ferendum: demerendi beneficio tam potentem, tam propinqvam civitatem nunqvam parem occasionem daturos deos. *Liv. l. 3. edit. Sigon. p. 31. B.* ut constet, cujus auræ amicus sis. confer *Saved. Symb. Schupp. jucund. libello*: **Freund in der Noth.** (3.) Ut conniventiâ tuâ & moris paciferis irreparabili clade ac rerum conversione status publicus à partibus demutetur; serò tum accusaturo teipso tuum lentorem: id qvod ostensum bellis Turcicis, cum modo Gallus, modo Anglus, *modo alii Mediatoris* inutile sibi orbiq; Christiano officium in Portâ sumere, qvàm arma socia maluerunt. Uti Elisabetha Angliæ

Regina indignabatur sibi à Sigismundo Poloniæ Rege pro illo beneficio nedum gratias agi. Idem in Imperiis quo fructu hodienum probetur, & eventus & ratio potior eventu docet. Qvis enim nostrum sibi meliora polliceatur, si extranei prævaleant: nec decantatas regnorum eversiones affectatâ *Neutralitate* & hæsitabundis judiciis promoveri sciat? Certe nil horum tandem asseqvemur, nisi infamiam desertionis & animi à genio patriæ alieni. *Qvi non est mecum, adversus mihi est*, ait Salvator. His tamen nil repugnat, tentare concordiam. Ut egregiè Dux Mauritius bello inter Socerum & Ducem Brunsvicensem, arma, cum operam utilem & causam probabilem alter non admitteret, pro fide & virtute sua jungebat.

§. 5. Summa vicissim necessitas exigit adesse *tertium, qvi rebus intricatis & contentiosis medium ad pacem capessendam reperiat.* Videmus qvotidiè & in privatis litibus, qvanta incommoda vitentur accedentibus mediatoribus; plurimi enim iracundia atq; furore perciti à conflictu prius non desistunt, qvam animum exacerbatum vel hostilis partis interitu expleverint. His verò *Mediator* ut Deus è machina subvenit, regit dictis animos & pectora mulcet. Ita natura qvoddam omnium rerum *medium* esse voluit, adeò ut nil sit salubre, nil jucundum, nil cum virtute conveniat, qvod non sit temperatum, hinc *Ovid. Metamorph. L. 1. fab. 2.*

*Temperiem dedit mista cum frigore flammâ.*
*Imminet his aër, qvi, qvanto est pondere terræ*
*Pondus aqvæ levius, tanto est onerosior igni.*
*Illic & nebulas, illic consistere nubes*
*Jussit.*

Sic natura Oceano certos posuit limites, ut jam huic jam illi mari terræ qvædam pars interjaceat, ac distincta sibiqve opportuna invicem, non confusa sint.

§. 6. Talis *mediatio* & ipsis partibus esto gratissima, licet

licet aliqvi nulla in re animi eorum consentiant; eoq; fieri solet, ut jam expetant *mediationem* palam nullo sui dedecore, aut infirmitatis confessione, ut Romani optabant incommodis Macedonici belli liberari; jam occultius excitent *Tertium*, ut intervenire & componere controversias amet. De qvo cap. ult. agendum est.

§. 7. Evoluta qvæstione, *an sit*, contemplandum est, *Qvisnam* sit, sive esse debeat, ille *Pacis Portitor*? In qvo per omnes ferè naturæ humanæ & status politici conditiones ire fas ac utile est, inde qvantum accedat instituto. Talis 1. *sexus* est. Sanè vulgò constat, viros & pacis & belli artibus fœminis esse præstantiores, tum ob animi vim ac meliorem agendi modum, tum ob corporis vires; eoq; arceri in republ. ab omni negotio solent. Verùm id in dubium vocare possint exempla vetera & recentiora, qvibus fœminarum virtus eventu curæ istius inclaruit. Nota est pax, mediante Catharinâ Medicæâ Reginâ, inter Regem Galliæ & Hugonotas sæpè conciliata. Similem in modum Elisabetha Regina Angliæ erat *mediatrix* inter Batavos & Hispanos, Turcas & Polonos. Sic seculo præcedente in caussâ Livonicâ inter Svedos Polonosq; Anna reginæ Catharinæ soror conditiones proposuisse, literas Stocholmiam misisse dicitur in gratiam Regis Stephani apud *Thuan. lib. 76.* Notatu qvoq; dignum videtur, qvod Veturia & Volumnia irritis omnium ordinum precibus à Coriolano patriæ pacem intercessione suâ recuperârunt. *Plutarch. in vit. Coriol. u. G. Schupp Orat. Veturiæ nomine habitâ.* Et hodienum idem in extremâ Asiâ usu obtinere testis est *Pinto in Itinerario*, qvi se præsente ad Regem Viduam sexagenariam nomine *Nhay Pombaya* à proximis Insulis ob res bellicas missam venisse refert, simulq; addit: *res maximè serias atq; difficillimas fœminis internuntiis expediri solere, præcipuè in rebus pacem & bellum concernentibus*, haud incongruâ ratione: Denn sie geben vor / es habe Gott die Weiber mit mehrer Lieblichkeit/

Bescheidenheit und Ansehen begabet denn die Männer/ als welche/ wie sie sagen/ strenge und deshalben nicht so angenehm bey denen wären/ an welche sie abgefertiget werden. Inter reges etiam Galliæ & Hispaniæ, ut Carolũ V. castris inter se oppositis, reginæ rem transegerunt. *Jov.* Generatim sane cum Poëta *Aristot. Pol. l. 1. c. ult.* mavult γυναιxὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει, *i. e. mulieri decus adfert silentium.*

§. 8. *Mares*, (qvo jam & Eunuchos referas, officiis virilib. ut bellorum, qvod Turcica, olim Persica, Byzantina in Narsete, & ratio Cyri Majoris *ap. Xenoph. l. 8.* probat, ita his placidioribus adhibitos statuas licet) justæ ac mediæ *ætatis* ad *Mediatoris officium* tuendum adhiberi rectissimè extra dubium est. De *senibus*, *adolescentibus* & *pueris* magis qværi possit, cum qvod attinet ad senes, *Horatius* pronunciet:

*Multa senem circumveniunt incommoda, vel qvod*
*Qværit & inventis miser abstinet, ac timet uti;*
*Vel qvod res omnes timidè gelideqve ministrat,*
*Dilator, spe longus, iners avidusqve futuri,*
*Difficilis, qverulus.*

Confer *Cicer. Catone.* *Adolescentes* qvoq; talium minus capaces esse inde judicare liceret, qvia nulla rerum experientia essent instructi; præterea hujus generis ætas esset ambitiosa, superba, contentiosa & simplex ac nullâ polleat auctoritate. *Pueros* qvod attinet, satis explicuit *Aristot. d. l. qvæ virtus pueri sit*, τὸ βουλευτικὸν ait τὸ δὲ θῆλυ ἔχει μὲν, ἀλλ' ἄκυρον, ὁ δὲ παῖς ἔχει μὲν, ἀλλ' ἀτελές, *i. e. Fæmina habet illam qvidem* (vim consultandi) *sed infirmam*, *puer verò habet ille qvidem, sed imperfectam.* Eoqve ejus virtutem, ad alium, qvi præest refert, ut obseqvatur. *Ætas prima ceu brutum pecus, ut educetur mentis alienæ indiget*, *Æschyli* est dictum, à *Grotio* expressum, *lib. 2. cap. 5. n. 2.*

§. 9. Verum nil obstat, qvo minus affirmemus omnem

ætatem hujus muneris qvadantenus esse capacem. Omnis enim hujus generis actio ex objecto & circumstantiis æstimanda, cui vel puerilis, vel virilis, vel senilis ætas, pro diverso rerum statu arridere potest. Constat ex Arist. Oratorem benevolum, cordatum, probum auditori videri oportere; Qvid jam gratius & jucundius, qvàm ætas prima? solus amor erga infantem roganti veniam sæpe dedit. Qvis nescit, ut *Themistocles Admeti gratiam recuperaturus arrepto ejus parvulo filio, cum eo in sacrarium, quod summâ colebatur religione, se conjecerit, quod supplicandi genus maximum ac fermè solum nunquam repudiandum Molosso opponebatur, Plut. in vit. Themist. num. c. 46. & ib. in vit. Cat. Uticens. n. 3. 4. cum Pompædius Syllo vir militaris, summæque inter socios auctoritatis, propter amicitiam, quæ sibi cum Druso erat domi ejus multos dies obversaretur, puerisque familiaris factus, eos rogasset, ut Socios populi Romani in impetranda civitate apud avunculum juvarent, Cæpione id se facturum comiter significante, Catone vero nil ad hoc respondente, sed oculis torvè in hospites fixis & intentis. Qvid tu, inquit Pompædius, ad hæc, mi parve, respondes? nunquid non juvare hospites apud avunculum, quemadmodum frater, potes? Ubi verò nil Cato respondisset, sed taciturnitate & vultu negare videretur, prehendens puerum Pompædius: Ideo per fenestram inde abjecturum se illum, nisi precibus annueret, comminatus est, atque in manibus suspensum efferens minaci vultu & acerba voce concussit, neque tamen ab incepto novere illum potuit. Itaque deponens eum Pompædius ad socios reversus, Gratulemur, inquit, nobis, esse hunc puerum, qui si vir esset, nullo modo civitatem sperare liceret.*

§. 10. Qvis præterea hodiè, cumprimis in aulis Principum, in gynæceo, cujus favore pleraque perpetres, gratius, quam juvenis? Certè imperantes ex juris necessitate pauca tolerant, affectu & beneficio vincere vincique malunt. Cui spei nil gratiosa adolescentia opportunius est. Quis demum dubitet, *senectutem* egregiè talia efficere posse; ea enim ipso adspectu & verbis est venerabilissima. Romani legato-

rum

rum Punicorum dignitatibus & ætatibus conſpectis, *jam verè de pace agi*, agnoſcebant apud Livium. Itaque *legatis* Græcis πρέσβεις, ac *ſenex*, πρέσβυς eleganter colludunt; ac in copiâ, maximus natu verba facit. Vid. *Homer. Iliad.* Phœnicis legation. ad Achill. *Curtium* ſæpe. Adeoque ſenili prudentiæ, moderationi, gravitati iſta vel maximè committi debent; licet nullam planè ætatem excludi poſſe probabiliſſimum ſit.

§. 11. His ſi & naturæ dona conveniunt, quis dubitet, rem plurimum juvari? ſic minus habilem claudum, gibboſum, aut aliàs notabiliter deformem hominem? & cum plerumque ita comparatum ſit, ut gratior ſit à pulchro veniens à corpore virtus, ac mores habitumque corporis ſæpè magis quam interna reſpiciamus, curandum, ut deſtinentur, quos decora ſpecies commendat, vid. *Gemil. l. 3. c. 3.* Phæneam Ætalorum legatum, ut ob valetudinem oculorum, dicax R. Macedonum exagitet apud Liv. & Cato trium Romanorum legationem *capite* ſeu cerebro ſano, *lingua* & *pedibus* carere notarit, Plutarchus obſervavit. Hinc *Curtius l. 6. c. 5.* refert, barbaros Alexandrum deſpicatos ac magnorum operum eos capaces non judicare, quos natura ſpecie quadam externa dignos non putaverit, perinde nos, ut *Gemil. d. l.* legatum pulchrum, ſic nos mediatorem pulchrum eſſe volumus. Huic ſubvenit & *Vox*, qualē Rhetori ſuo poſcit ars, ne balbutiat, ſtrideat, murmuret, ſed clarè, articulatè ac graviter loquatur, neceſſum eſt; Hoc enim plectro tentantur animi ad conſonantiā. Sed demutari pro *ætate ſexuq;* *Mediatoris* iſta, ſponte intellgitur.

§. 12. Nec negligenda *fortuna* exterior, cum gratuita ſit opera illa, & privatis impenſis ſeſe verendum reddere ac gratioſum, alios quoque ſibi faciles variè præſertim aureo hamo trahere debeat. Ipſi ſane disſidentes, armis viriſque ac fortuna tumidi, niſi apparatus dignitati perſonæ reſpondeat, dedignari amant, uti vel in ipſo Carolo Superbo Angli male tunc conſulti peccabant; quippe di-

pe divitiæ hodiè in majori habentur pretio, quàm Virtus. *Aurum* enim, ut Horatius docet, *perrumpit saxa, per medios transit satellites*; alioquin splendorem officio per se illustri & arduo conciliare nequit.

§. 13 Non minimum quoque utilitatis accesserit, si talis Mediator uni alterique parti *cognatione junctus* ac *amicitiâ* esset. Fiducia enim in ipsum certa spectanda est, sine qua mediationes sive rejici, sive in speciem admitti notum est. Itaque nec peregrinus tam commodè *conciliator partium* recipi poterit, præsertim cum & res litigiosa, ingenia ac status pristinus & præsens ei minus nota sint. Nedum ut ipse sese ambitiosè offerat: neminem enim se alienis & peregrinis rebus sine suspicione immiscere præsumitur. Communes quoque amici tùm optimi, ut inter Fridericum Placidum, Electorem Saxoniæ & Wilhelmum, Fratres, Brandeburgicus Marchio; Hassiæ Landgravius inter Mauritiū & Johannem Fridericum Electorem Saxoniæ. Eodem *dignitas* pertinet, parne statu, potentiâ, fortunâ, an secus, videatur? Tarentinis malè cessit, cum inter Romanos & Samnites comminando etiam pacem urgerent. Liv. Monitorem non fert, qui propè imperio in tertium sese dignum, certè comem sibi reverentiam deberi existimat.

§. 14. Fides pacificatoris multum quoque augetur apud partes, si *religionis* ejusdem cum iis studiosus, vel & eminentis pietatis est: & hinc *Clerici* suo jure se infausti inter Christianos dissidii arbitros non immeritò profitentur. Ita Papa Romanus hac larvâ sanctitatis ut communem Patrem olim multis filiorum spiritualium bellis se immiscuit, nullam aliam actionis causam prætendens, quàm religionem: eoque & inter Moscum Johannem Basilidem & Stephanum Poloniæ Regem Possevinus Jesuita *mediare* jussus; ac apud *Frossardum* inter Anglos; & Gallos mediatores, *Cardinales* ultro citroque commeando acies structas distinuerunt.

§. 15. Tertius si sit *vicinus*, justiorem & commodiorem videtur habere causam, sese interponendi; ipsius enim res quoque agitur, paries cum proximus ardet; & vicinitas gentis bellicosæ est periculosissima, ut rectè tradit *Keckerm. Syst. Polit. lib. 1. cap. 24.* Hoc observavit Ferdinandus III. Romanorum Imperator, videns enim in viciniâ omnia flagrare inter Svedos & Polonos, & ipse sese interposuit eosque conciliare vi juris vicinitatis conatus est.

§. 16. *Cognatio* quoque talia officia ultrò exigere videtur, quod demonstrat prælata ratio impulsi ad eam curam mediatoris, ut hodiè Potentiss. Rex Angliæ bellô hoc Gallo-Germanico tantum elogium sustinet. Leges *amicitiæ & fœderis antiqui* id non minus jubent, si enim mutuæ conservationis, licet non adsistendi in præsenti causâ, pacto teneor, eidem pacem hac via reparare obstrictum me censebo. Quo argumento Angli usi sunt, ut Hispanos Belgio conciliarent, vi pactorum cum domo Burgundica.

§. 17. Sunt etiam exempla eorum, qui velut *pro imperio* se mediatores obtulerunt, suâ potentiâ freti, ut metu incusso faciliùs dissidentes ad pacem compellerent. Sic Magnus Rex Persarum Artaxerxes minis Spartanos & alterius partes Græcos composuit. Perinde Romani coëgisse, nolentes bello invasisse leguntur. Itidem Philippum R. Macedoniæ fratres de Regno disceptantes specie arbitrii ipso regno spoliasse, Curtius auctor est.

§. 18. E quo *supremò* fluit, *ingenii* sui *vim, animique moderamen nosse*, ut *indifferens* sit ad utramque partem, à nulla harum pretio, vel pollicitationibus se corrumpi permissurus; ut *æquitate* sua vincat obstinatos, & vel intolerandas alioquin intemperies verborum factorumque, quibus partium impatientia erumpit, moderatè ferre non recuset. Id quod *arbitri* officium alioquin suggeret.

§. 19. II. Principium Mediatoris *Organicum* sive Instrumen-

mentale, quod Principali superiùs explicato respondet, dicimus esse *Legatum*. Ubi quæritur, an satius sit, Principem mediatorem *legatos* mittere, an *ipsum* venire in rem præsentem? Respondetur: sæpè præstare, legatos mitti: sæpiùs tamen Mediatorum præsentiam & autoritatem plus valuisse experientia constat; cessat enim hic ratio, ob quam Comineus *Principum congressus* improbat. Sic Brandeburgici *mediatio* inter Fridericum Placidum Electorem Saxoniæ & Fratrem Wilhelmum à præsente feliciùs peragebatur. Nec minori commoditate ipse Dux Saxoniæ Mauritius reconciliatum ibat Henricum Brunsvicensem & Philippum Landgravium Hassiæ. Huc refer dissidium Francisci I. Galliæ Regis cum Carolo V. Imperatore, quod itidem Papa Clemens VII. *præsens* aliqt. composuit. Mauritius Elect. Sax. & Elect. Brandenburg. præsentes mediatores comodùm fuerunt inter Carolum V. & Johannem Fridericum Electorem, teste *Sleidano*. E veteri Historia notabile est exemplum Aminandri Athamanum R. *pacificatoris* Ætolorum & Romanorum. Adeoque semper respectus ad *objectum* haberi debet, an id præsentiam exposcat, nec ne. Ferè enim domestica mala, & interiorem sensum ad dispares, ut *legatos*, dissimulant, eoque nil admodum levantur odia. Licet vulgò audias: *Principem omnes affectus post potentiæ studium habere.* Id enim ut alicubi obtineat; humani tamen sensûs vis nulli penitùs excidit.

§. 20. *Legatus* ergo talis cum dicitur *Instrumentum* Principalis, ipse Principalis videat, 1. *quotnam* hominibus indigeat ad rem expediendam? Nimis multos ad *unum* eundemque, unam eandemque causam agendam mittere, minimè consultum est. Sic Tigranes Romanas decem millium copias in sese adventare videns dixisse fertur: *Eos, si legati venirent, satis multos quidem; Si verò pugnaturi, perpaucos esse. Plutarch. in vita Luculli num. 76.* Adeòque uni, duobus aut tribus res committi poterit, cum varia ex diversis capitibus nasci in-

commoda, experientia probet: ut Achaicos legatos contrarias orationes in Senatu Romano propoſuiſſe Polybius docet. Superbiæ ſanè quorundam *Unus* non ſufficit. Sed Spartanos Perſarum regi eo faſtu turgido: *unus*, ajebat, *ad unum*. Papæ *Nuncius*, vel *à latere legatus* unus tantùm mitti ſolitus eſt; Nec aliter, Turcæ, Perſæ, aliique Aſiæ Principes ferè per *unum*. Utile *interim eſt*, plurium curâ negotium tueri ſimul, ut Romani *tres* ferè mittebant.

§. 21. 2. *Selectum* autem *Mediator* legatorum habeat præcipuum. Quamvis enim *Sortitio* magno certamine retracta in Romano Senatu ſit, apud *Tacit. Hiſtor. l.4. c.7. & 8.* præpollent tamen Helvidii Priſci argumenta ambitioni & formidini procerum. Ipſas porrò in eligendo *dotes* aſſimilari dictis de *Principali* liquet. Conf. de *commun. legat. qualitatib. Maerſelar. Tholoſan. Saavedr. Kekerm. Pol. l.1. c.24.* & alios communiter.

§. 22. His deficientibus plerumque nullâ prorſus auctoritate apud *Partes* pollet, præcipuè apud barbaros, qui *i. e.* plurima è cultu *externo* præſumunt; imò quod gravius, ſæpius rejiciunt. Nedum ſi *occulta* Partis in *talem* miniſtrum odia ſint. Sic Papa Urbanus VIII. recuſabat admittere legatum Venetorum equitem, miſſum ut Papam cum Duce Parmenſe conciliaret. Proinde ne quid in hoc peccetur, deſignare ſolet mediator & *prædicere* ut mature ſciatur, an acceptus ſit futurus. Eoque commodum eſt, ſi partes litigantes *unanimo* conſenſu legatum *expetant*; Ut Carthaginenſes & Maſaniſſa R. legatum eligebant; ſic Macedones nominatim Scipionem poſcebant ad diſceptandas controverſias, quas inter ſe habebant, teſte *Polyb. Excerpt. Legat. 141.* Cui ſimile eſt, ubi hodie privati à Principe ſive judice ſupremo unum vel plures expetunt in commiſſionem, vulgo qui appellantur *Commiſſarii cauſſæ*.

§. 23. II. Ordo exigit, ut ad *principium quo*, ſive ipſam tractationem accedamus; quæ conſiſtit partim in *verbis*, partim

*factis.*

*factis.* Verba fiunt vel *scriptô*, vel in *præsentium* congressu. Vertitur oratio potissimum ad *Partes* conciliandas, inde ad *alios* qvorum l. favor expedire, vel renisus impedire negotium videbitur; uti anteà de *Tecto* objecto Mediationis explicitum est.

§. 24. *Causa* autem, de qva Mediatores agere debent & volunt, est, per ipsum titulum, qvo ostentantur, *aperta* & nota illa sc. *Compositio Dissidii*; & iterum aut *initio* objecta ac jamdum controversa, aut *Nova* & improvisa, ut qvidem sæpiusculè ista legatis mediatoribus accidisse experientia testis est: qvorum æq; ac condicti propositi *Mediator* rationem habere tenetur. Puta, si Pace *sub clypeo* tractatâ fortuna belli statum proximum inclinet, & victorem ad nova postulata animet; si ipsi Mediatori gravius qvid accidat, undè negotium præsens aliqvantum afficitur. Sæpius tamen hisce nil minus qvàm res præsens, & propter qvam desiderati sunt, curæ est, cum longè alium finem sibi proposuerint & saluti litigantium salutem suam privatam prætulerint. Tales sunt, qvi speculandi, corrumpendi, cavendi, novas lites serendi aliaq; incommoda movendi causâ veniunt. Hâc arte insignes Romanos Polyb. *Legat. 113.* observat, ut *ex alienis dissidiis ac stultitiâ sese augerent*; *dum videntur beneficium dare imprudentibus*; *e. c.* missâ legatione ad Ptolomæos fratres reconciliandos, & minorem parti regni imponendum: ne sc si Aegyptus *uni* subesset, altiùs qvàm ipsis consultum, spiraret. Ut vero proximum sit, *pacis tractatus non minores dolos & strategemata comitari solere, atq; ipsummet bellum.* Hoc ipso Philippus Macedo trahi visus, cū dissidentibus Græcis intervenit, *amici esse dictitans, amicos componere*: & insidias libertati omniū molitus.

§. 25. Summa Mediationis ut proponatur, *Conciliatoriæ* & *petitoriæ* orationis methodo potissimùm absolvitur, cui *Svasorii* loci tum communes, tum proprii, inde *affectuum* plerorumq; regnum heic induci solet, ut *Gratiæ*, *Amoris*, *Spei*, *Pudoris*,

*doris*, *Metus*, *æmulationis*, *Commiserationis*. Ac *Primò Exordia* morata plerunq;, animum erga partes benevolum conteſtantur, ex locis *Amoris*, ut amicitiâ invicem cultâ, cauſſis impulſivis, viciniâ, agnatione aliisq; motivis; ei enim cui diffido, non aſſentio, nec mihi favere hunc, multo minus benè facturum, perſvaſum habeo; ſicut Ariſtoteles aliiq; Rhetores notant. Indeqve ad *præſens* argumentum deſcenditur, 1. *mali*, ſc. disſidii ingratias, & contrariæ *concordiæ* deſiderium oſtendendo, cū rationibus è ſtatu *Mediatoris* petito, ne ludere in re ſeriâ videatur. *Ipſâ* autē *Tractatione* Orator rem probe ſe intelligere ſub initio ſtatim demonſtret. Nam *cauſſam* ingreſſus 1. controverſæ *Pacis* præſtantiam è locis *Epidicticis* probat, uti & oppoſiti *belli* mala intentat; rerum inconſtantiam, nil tam firmum, cui periculum non ſit etiam ab invalido. Sic fortunam lubricam, nec invitam teneri poſſe, eam manus & pinnas tantum habere, eas cum porrigat, has comprehendere non permittere, pacis commodis è regione opponebant Scytharum legati apud Curtium lib. 7. cap. 8. 2. *Merita Partium* contendit invicem è locis *ſtatus Juridicialis*, præſertim *aſſumtivis*, qvod ſæpè *abſolutorum* odioſa ſit tractatio ad tales. 3. Pacis *ſtudium* urget è *ſtatu Negotiali*, ac Loco *Facultatis* ſc. *Mediis* concordiæ, modoqve applicandorum ante explorato propoſitis: Inde *Utilium*, *Comparatorum*, ut *Neceſſitas*, *Fructus*, *Gratiæ* Pacis agnoſcantur, contrapoſito ſenſu eventuqve inſtituri contrario: *Honeſtorum*, ut *Fama*, *Autoritas*, *Conſcientia* percurretur. Qvod enim Hannibal Scipioni, Puniciq; legati, Antiochi M. & Syracuſani, & Campani & Ætoli Romanis, Veneti Maximiliano I. precando, *idem* in Svaſoriis noſtri generis conciliando ferè totum obtinet. *Modus* ſaltē pro decore & autoritate partium ſervatur, ne *Mediator* alterutros metu, nimio pacis ſtudio, ac aliis, premi imprudens aperiat; unde alteri fiducia ac cupido alieni creſcat. Qvæ diſtinctè, enucleatè & exemplorum applicatione abſolvi qvàm dignum & proficuum

cuum foret, jam tamen mihi, aliis modò distracto curis, arduū est, industriam huc justam collocare. Conf. amoebeas *Petrarchæ* & *Ducis Veneti lib. Epist. Variar. I. II. III.* De *Methodo* Vossium *Instit. Rhet. lib. III. c. VII. §. 5. & 7.* Qvæ nunc animi sui sensa ut depromat, qvàm necessaria Eloqventia Mediatori, qvantum artis & operæ necessum; ut multa heic Consulendi, Monendi, Hortandi, Expostulandi opera: magna prudentia tùm ut Loco conveniant, & Pacem *velint*: tum ut *condiciones* elicias, opportunè proponas, temperes difficiles, iniqvas elimines, qvò remittendo de extremis copulent mediis concordiā: Ut partibus odio obstinatis persvadere valeas, ecqvis non operosum advertit? Perindè ut accedat *sermonis* qvædā nativa svavitas, & *motus* dicentis; illa enim repugnantes qvoq; cogunt & impellunt, siq; fuerint etiam res odiosæ, recto lenociniorū usu & coloribus obductis prosperè contenditur.

§. 26. Tractationem hanc & in *factis* consistere, supra dictum. Facta sunt *Ordinaria*, vel *Extraordinaria*. Illa partim necessario convocandi, proponendi, deliniendi, officioqve præsenti, alioq;, pro re natâ, devinciendi, partim itatione & laboribus variis constant, nunc utrosque prensandi, cum Principales tùm charos & familiares, per promissa ac præsentia, bona conciliatos, qvorum vel autoritas, vel gratia, vel usus necessarius intercedere, & obstinatos ad hostilia, ac postulata duriora mollire posse videbitur. Vasqvez. *in Thom p. 3. p. 82. c. 1.* hoc *Mediatorem* facere dicit 1. *per modum arbitri*, ad caussas utriusq; partis discernendas & judicandas. 2. *in modum proxenetæ*, qvi ex unâ ad aliam partem pacta & conventiones defert. 3. *Deprecando unum pro alio.* 4 *Satisfaciendo alteri pro eo, qui debet.* Sed hoc ultimum in *Mediatoris* officium *generatum* non competit; licet, cum fit, illustrem Mediandi *modum* Probet. Unde B. Meisner. *Theol. Photin. c. 5. p. m. 826* distingvit Mediationem *nudam*, s. in communi spectatam, ab *hac*, qvæ in sangvinis effusione pro alio fundatur.

§. 27.

§. 27. Quod ut eo felicius ei obtingat media subsidiaria partim per se partim mediantibus aliis adhibentur. Istius generis sunt terrentia, *e.c.* conjunctio mediatoris cum tertio quopiam titulo diversi negotii, munitio locorum, subditorum armatura; qui actus licet medii sint, tacitum tamen metum pariunt, ne Mediator, pace non coeunte, alterutri applicet sese. Eodem minæ, expostulationes, aliaque quæ in locum precum & blandimentorum cedere posse dicas. ostensâ *necessitate suapte*, vim parandi, si æqua conventio rejiciatur. Quod verò nemo, nisi fidem factis implere potens, nec is, nisi cum mitior agendi ratio incassum & magna spes percellendi est, temerè protulerit.

§. 28. Ad pactiones maturandas aliquandò mediatores etiam *extraordinariis* remediis uti adsolent, nempe 1. conditiones *de suo* libera voluntate *supplendi*, ubi potentiam viresque eas implendi deficere partem alterutram, & sic pacem impediri intelligunt; & hoc vel *donationis*, *sponsionis* similive titulo. Hoc quàm raris exemplis inclaruerit, eoque vix sperari soleat, dicere nil attinet. Attamen S. Scripturâ teste, præstitit Christus mundi totius Salvator, dum non solum mediatoris partes inter homines & Deum suscepit, sed etiam nos cum Deo Patre diffidentes reconciliavit, eo pacto: Ut victimam sese pro totius mundi peccatis obferret, atque ipsemet sanguine suo legem impleret. Eoque duæ illæ functiones mediatoriæ, *oblatio* satisfactionis & *intercessio* pro parte reconciliatâ non immeritò admirandum bonitatis in Ipso specimen habentur: & quàm verè exercitæ, quàm necessariò præbitæ sint, contra Socini & similium ingratitudinem alibi ostendi solet. Sane & Mosem, ac Paulum aliosq; ipsosmet suâ sponte vicem partis supplere voluisse accepimus. Sed ultra *voluntatem* id neutiquam processit. Ejusdem generis medium 2. est, *impedire* clanculùm partem alterutram, si nempe ea nimis injusta extorquere conetur, sive id fiat

id fiat per *vim*, sive *consilium*. Huc referenda partim militia libera nostrorum hominum, cum Mediator suos parti militare permittit, obiter curato, ne intractabili sese applicent, partim si à parte nimis injusta eosdem revocat, ut viribus subtractis mitiora probet: ad modum Angliæ Regis, qui mediator inter Europæos Principes, suos è Gallia publico edicto redire jussit. Ita Ætoli pro lege hunc morem servarunt antiquitus, ut adversus socios ipsi suos, publicâ tantùm auctoritate demptâ, juventutem suam militare sinerent; & contrariæ persæpe acies in utraque parte Ætolica auxilia haberent *Liv. lib. 33. edit Sigon. pag. 260. lit. f.* Id quod *Spolium ex spolio capere* appellatum & exprobratum ab infenso Macedonum R. Priorem morem Germaniæ populis esse respondebatur conquerenti olim Galliæ Regi, & nihilominus mediatio obferebatur. Scilicet semper ea ratio fuit excusationis, privato nostros ausu militasse pro altero, idq; solùm exercitii militaris gratiâ. Simile est mediū quando Mediator partibus, pecuniam mutuam dat solvit debitum, transitus per regiones concedit, frumenti & similium rerum utilium commercium permittit; undè convalescere seque tantisper alter tueri possit; donec fatigata pertinacia alterius in pacta consentiat. Quamvis indè facilis recusandi Mediationem occasio captetur.

## CAPUT IV.

# FINEM ET OSTENDIT.

§. 1.

Ut omnes actiones fiant propter finem necesse est; sic mediationis finis isquè *primarius & præsumtus* est *Pax*; quæ debet esse 1. *perpetua*, seu ad omnem posteritatem, regnum, Ordines porrecta expressè; non verò ad solam *personam* imperantium pro tempore. *Pacis* etiam nomen indeterminatam

durationem concordiæ per se fert. Eoque vana erat Perse contra fedus Romanorum cum suo patre ictum exceptio. Pax enim brevis ad nil prodest aliud, quàm ut coacerventur ligna quibus bellum incendatur. Savedr. *Symb. 98.* Ad hujus rei testimonium adducit inducias paucorum annorum, quas magna incommoda secum adferre dicit, iras enim illæ tantisper suspendunt & spatium dant enses acuendi & lanceas. Hinc Warmund. ab Ehrenberg Medit. pro Fœd. *l.1.c.3.n.27.* negat, inducias facilè dandas; cum induciæ & legationes novæ in bello semper dolis novis munitæ sint. Conf. de jure earum *Grot. l.c.* Id additum: *semper*, excessivè accipi credimus.

§. 2. 2. *Securitas* (1) Fidei datæ, (2) Restitutionis in statum qvi ante bellum erat, mutuæ præsidiis continetur. Ut alia assecurandi (barbarè loqvi jam liceat) subsidia speres, qvalis traditio locorum munitorum ad tempus, qvod Hugonotæ Gallici cum suo Rege pacti poscere soliti sunt, missio exercitûs & apparatus reliqvi dissipatio, federa pristina soluta, interdictum cum aliis bellum, legationũ jus alieno arbitrio reservatum, (qvibus Pœnos Romani & Antiochum M. & Macedoniæ & Illyrici RR. gravârunt) reservatumq; alteri jus armorum, eosdem amicos & hostes habendi, ex formulâ militem præbendi, seipsum alterius, non suis, armis tutandi necessitas imposita (ut olim Ætolos, Latinos autem perpetuò servili societate iidem premebant) *Mediatoris* ipsius stipulata in non servantem impressio, (qvod triplici federe paucos ante annos, sed nimis facilè rupto, cautum est) vulnera hæc magis sunt qvibus altera pars concidit, verbo Annibalis de suorum cum Rom. pace, qvam pacis lætæ exempla. Eoqve metuendum Privernatium ingenium in hac re: *si bonam* (pacem) *dederis; fidam habebis & perpetuam. Sin malam, non diuturnam.* Liv.

§. 3. 3. *Firmitas* nil admodum abit à dicto. Sed firmissimum est pacis pignus, amor mutuus; qvem, inter

inter plura inſtrumenta, Connubia glutine tenaciſſimo, & religionis, & morum ſimilitudo, & commercia, & permiſta ditionum partitio, ut alter ſine ſuapte pernicie alterum lædere vix poſſit (qvod in diviſione Provinc. Saxon. aliqn. curatum fuit) inſinuant. Alia niſi Deus, nemo præſtat.

§. 4. 4. Honeſtas conſtiterit, ſi in eam, qva ante bellum eramus, fortunam redierimus. Et ſi hæc obtineantur, nullum prudentius eſt conſilium qvam eandem amplecti. Qvod tamen ut Princeps adeò obſervet, ne pacis cauſa periculi qvidpiam relinqvi, aut nil maligni toleret, qvis ãnuat? Indigna, honoris tantùm politici adverſa ſunt? Ergò internecinum bellum præſtiterit? Salus populi lex pacis ſumma. Nec deſunt remedia, ut pacem cum vicino, ſi viribus ille ſuperior ſit, tutam reputet: nec inter infirmiorem & potentiorem eam eſſe penitùs neget Savedra, *d.l.* Nec enim è præſcripto otioſorum hominum, ſed pro rerum præſentium indole agendum eſt. Vid. Warmund. *d. l. 1. c. 2. n. 97.*

§. 5. Cæterùm iſto animo, ſc. pacem, eamq; tolerabili conditione reparandi, non ita Mediatorum qvidam ducuntur. Eſt qvi tentet, ut infernalis leo, qvi obambulat & qværit qvem devoret; pacem manu orat, præfigit puppibus arma. Nam ſaltim ab talibus ſolent pacis conditiones ſimulanter eo fine introduci, ut interim actiones & conſilia hoſtis explorentur, ut tempus ſuppetat ad erigenda propugnacula, ex ingenio Miltiadis apud *Nepot.* ad obtinendas ſuppetias militares & fœdera ſancienda, ut hoſtiles vires conſumantur, uniti invicem ſeparentur & ſpe pacis vigilantia aliorum langveſcat atqve induſtria. Interdum etiam pax omnino concluditur ut novæ poſtea reparentur vires, & impediantur conſilia, cui Savedra d.l. addit exempla: Pax, ait, Ratisbonenſis aliũm finem non habuit, qvam exarmandi Cæſarem. ſic Franci pacem Monſonenſem pacti eſſe dicuntur ut impeterent armis Germaniam. Mihi inſigne videtur illud

Marcii, Legati Romani, & qvâ fraude in Perseo spe pacis impediendo à progressu armorum paratorum usus sit, non probata Senatoribus prisci moris, ap. Liv.

§. 6. *Secundarius* autem *finis* est *aliqualis* saltim *conciliatio*, ut si prorsus & plenè uniri neqveunt, neve conventus re infectâ dissolvatur, *induciæ ad certum tempus*, à *Mediatore* proponantur. Qvæ si acceptantur, videat Mediator, ne dolus ab altera parte subsit, cujus generis sunt antea enarratæ fraudes. Qvo facit qvæstio, de *Termino Armistitii*, ut vocatur: an productior urgeri debeat? Videtur, si omninò *Pax Mediatori* obversatur, nec obtinetur, id qvod Paci proximum est, longissimas belli ferias esse captandas. Ita Romani 30. aliis 40. aliis centum armorum inducias, loco Pacis petitæ, dederunt. De recepto hactenus inter Turcas & Hungaros Octennalium induciarum more, qvàm is probus sit, pendet judicium à scopo & statu regni illius; an qvæ propinqva spes sit reparandi amissa. Principium autem octennii illius dedit inclytus ille, & in exemplum legato cuivis maximum ad potentiorem natus, Auger. Gislen. Busbeqvius; qvi toto octennio octennium hoc impetrasse scribit *Epist. ult.*

§. 7. Sunt omninò & alii fines, qvos *Mediatores*, vel eorum Legati sibi proposuerunt, e.g. de qvibus *Gentil. l 2. cap. 4.* *sunt quidam legati, qui speculandi caussa mittuntur; atque id ut faciant tutius, nomine illo sanctissimo muniuntur, tales fuerunt Volscorum legati quos agnitos & convictos speculatores Posthumius dictator Romanus servavit.* Vid. Livium. Mitti qvoqve solet *Mediatio* eum in finem *ut morentur, frustrentur, eludant eum, cui bono missi videntur.* Utplurimum præterea propria commoda solent respicere, sub prætextu tamen omnigenæ benevolentiæ ac amoris, & qvo magis sincerum sese cor exhibet, eo plus doli in recessu habet abditum. Sic sæpe numero sub specie tranqvillitatis publicæ assunt, & eam perturbant; pro partium

libertate, ut eos opprimant; pro eorundem tutela & defensione, ut hosti prodant; pro alieno statu conservando, ut eum destruant, propriumqve alieni corruptione augeant. Ad hæc eo melius exeqvenda suggerunt consilia, media, qvæ speciem bonitatis habent, eventus tamen pessima demonstrat; commodum Partis præ se ferunt, proprii tamen unicè meminerunt; sollicitos pro aliena salute sese simulant, longè tamen alia intendunt. In ipsis deniq; effectibus falsam obtentuũ illorum speciem tempus prodit, qvia aut non præstatur, qvod promissum fuerat, aut eo non agitur loco, modo, tempore, qvo putabatur. Nec etiam commodior occasio ultionis haberi potest, qvàm *Mediatio*, cum nempe sibi ægrè factum Mediator ab aliqva parte aliqvando meminit, omnia in ejus detrimentum agere non veretur, tam commodâ tamen id specie prætexens, ut nec facilè malum præsens ulli suboleat, nec deprehensum amoliri commodè possis.

# CAPUT V.
# EFFECTUS PRODUCIT.

§. 1.

VIso nunc qvo *mediatio* tendat, sive tendere debeat: qvousq; pertingat & *quis ejus effectus*, prospicere juverit. Is jam (1) *proprius & per se* in tantum cum fine professo convenit, ut primus totius negotiationis illex, & in qvo impetrato acqviescit animus, ceu in portu navis diu fluctibus jactata. Nam *Mediatio* Phari instar est qvo lugubri dissidio afflicti sese vertunt, hujus faculis in sinum qvietis perducendi. Et vero ille est ipsa Pax. Hæc tamen ut constat cum persæpe ra sit obtentu, eam explorare expedit, idq; ubi de *Oppos. Mediationis* agetur, aliqvantum ostendetur.

§. 2. Proinde nullam occasionem partes pacem obviam capessendi prætermittent, & cum, secundum Poëtæ effatum:

*——— ——— Pax optima rerum*
*Qvas homini novisse datum est, pax una triumphis*
*Immumeris potior sit,*

qvam celerrimè cuivis rationi sese accommodent &, svasu Savedræ reputent, *nullum prudentius consilium esse, qvam pacem amplecti, quæ tolerabilis est.*

§. 3. Cæterum, ut voto Pacis non ita integro *Mediator* potiatur, nihilominus animū intendet, ut δεύτερος πλοῦς qvod dicitur proventu meliorum aliqvo prosperet. Ac (1) si *plena pax obtineri neqvit, bellum tamen ut geratur humaniùs, ideò inducias paulo longiores dari ac ita sensum mitiorem paulatim animis inseri curet.* Qvod subodorabatur Ronæus Hispanicorum Auxiliarium in Galliâ dux, cum de Induciis inter Ligistas & Regios ageretur. Castreo enim eas probante, ut hoc rerum statu populis fatigatis & ægrè in bellum nisi desperata pace consentientibus, exhaustis urbibus, nondum paratis externis copiis, utiles & necessarias: nam per eas colligi animos, populos ex continuâ bellorum molestiâ recreari posse, &, si regii in proposito pertinaciter maneant, rursus ad bellum alacriores redituros: Urbes interim commeatum qvo maximè egent recepturos & adventurum auxiliarem exercitum. Ille contra: Induciis factis animos ad qvietem inclinaturos, nec belli labores ulterius spontè subituros. Id enim qværebat homo externus & fallax, ut Galli internecinis odiis conciderent. Vid. alios ejus obtentus *ap. Thuan. Histor. lib. CVI. ad A. C. 1593. p. m. 541.*

§. 4. (2) Simul conjunctio diversa tentari iniriq; solita; alienatis partis iniqvæ Sociis, &, qvod cautos *Conciliatores callere* scitum est, spe metuq; novo impletis, ut frigescant ad pristina consilia ac ipsam societatem horreant. (3) Malum gravius ea operâ non raro prævertitur. Intentis enim animis in eventum, nec in casum dat qvis facile sua; & cùm liber à turbis est, tantisper sustinet impetum. (4) mala vicissim

sim pullulare maxima & hinc posse, dies docet. Nam & vetera firmari & nova trahi sentias, sicubi *Mediator* minus providerit; aut pravo ingenio speciem suæ atrocitati amicam obduxerit. Cujus exempla ad finem properanti adscribere non integrum est.

# CAPUT VI.
## ADJUNCTA TANGIT.

§. 1.

Adjuncta *Locum* & *Tempus* dico. *Locus* ubi mediatio fieri debet, est vel *Partium* vel *Tertii*; ejusq; vel planè *Neutrius*, vel ipsius *Mediatoris*. Ac (1) Ecqvis horum debeat esse, *potentioris an infirmioris*, qværitur? Resp. (1) non repugnare, Mediationem fieri in loco *partis*. Id qvod tamen plerunq; negotii multum præbet in *Præliminaribus*, ut vocant, donec de securitate, dignitate &c. expediaris. Nec enim nulla est ejus commoditas, in cujus ditione agitur. Qvod vel illa de *Concilii loco* qvæstio *ante hoc seculum* arguerit; caussamq; repugnandi non ultimam peperit: certè idpropter tardius multo ad rem deventum est. Cum enim Partes dignitate, sæpè & belli fortuna admodum discrepent, *Potentior* dedignabitur adversario eatenus concedere. *Infirmior* metuet à vi & contumeliâ in suos, cujus documenta non pauca supersunt. Loci qvidem isto selectu sibi & aliorum Conventuum partes sollicitè providisse constat: ac factum ut, nisi assentiretur postulatis, inclusi mœnibus tædium suum acq periculum gravibus conditionibus acceptis redimerent. Senserunt id non rarò Legati ad Turcas Byzantium missi, intra ædes velut carcere coërciti. Vid. *Busbeq. Epist.* Et in *diætis provincialibus* qvarundam regionum recessum esse à loco stato, qvo accedere & unde recedere libere possint Ordines, qverelæ auditæ. Qvod vel una Hungaria abunde explicuerit. Unde consultum est, etiam *plura* loca æqvè opportuna, dominorum diverso-

verſorum, electioni proponere; & potentiori decorum, cum alioqvin, id dignitati potentioris ſæpè ſit tribuendum.

§. 2. (2) Non repugnare qvo minus agatur in *loco infirmioris*, cum violentia & coactio in conditionibus non ita ſint metuendæ, & libertatis ſpecies pactis robur addat.

§. 3. (3) *Communis* partium dominio locus paulò optabilior; præſertim confinia utriusqve. Sic in confiniis Svedi & Poloni, item utriq; cum Moſcis, aliqvando, Hiſpani cum Gallis, ſæpiùs & in caſtris pacem tractârunt. Qvo (4) refer *oppoſita caſtra e. g.* in Africa inter Scipionem & Syphacem, in Theſſalia inter Macedoniæ Regem & Romanos Sociosq;, in Galliâ inter Carolum V. & Franciſcum I. in Sileſia inter Matthiam Corvinum & Caſimirum Polonum. Nam ſolum hoſtili pede preſſum hoſtium eſſe videtur. Eoq; indignatus adeo Hannibal, agrum, in qvo propè urbem caſtra metatus erat, *eodem tempore nil diminuto pretio veniſſe.* Ac ut vicem redderet, argentarias tabernas in foro Romano per præconem venum exponebat. *Liv.* Sed vereor ut emptorem invenerint.

§. 4. (5) *Locus Neutrius*, præſertim *Mediatoris*, merito præoptabitur, ceſſantibus tùm dubiis plerisq; de *conductu ſalvo*, acceſſu per agrum vicinum, ac talibus. Verum id tamen, cæteris commodis non defectis, proceſſerit. Locus enim qvisqvis etiam ſit, commodus eſſe debet ſitu ad facilem commeatum pro ſingulis qvorum intereſt, ſalubritate, amœnitate & aliis naturæ donis, dignus qvoq; tantorum hoſpitum conventu, abundans præterea hoſpitiis, commeatu, apparatu, ad corporum neceſſitates & gratiam tàm principalium, qvàm ſervorum. Utut enim vel pagos *conventibus Imperialibus* aliqvandò placuiſſe probetur; nec, pro anni temporibus, morâ negotii, & liberâ voluntate partium, vel hodienum repugnet: de eo tamen qværitur, qvemnam *Mediator* potiſſimum proponere arbitrio Partium debeat, ut æqvi boniq; conſulatur? Qvod ipſum rectius proceſſerit ſi plu-

rium

rium æqvè commodorum sive optio sive sors militet. Sin nil proficias, præstiterit *diversis*; sed *vicinis* Partes locis consistere, ut invicem commeare *Mediator* faciliùs possit.

§. 5. Undè, *unus* an verò *plures* reqvirantur? colliges. Prout abhorrent à sese & præsentia noxia fore videtur, nos asserimus, pro *numero* partium vel unum vel plures esse posse. Sic bellum tricennale Germanicum finiebatur diversis in locis, Monasterii nempe & Osnabrugæ Westphaliæ; qvod enim Religionis diversitas intercederet, Catholici in urbe Protestantibus addictâ ad pleni & publici exercitii facultatem, alibi perstiterunt. Minimè autem commodum esse ducitur si à loco in *alium* causæ *transferuntur*. Sanè *fixum* esse malimus, qvod ipsa translatio moras & vices animorum parturire noxias qveat. Exempla enim infaustæ translationis non desunt. *Omen* tamen inde certum, uti loci ullius *infelicitatem*, præsumere, qvod de nonnullis Germaniæ jactari solitum est, hic non appellandis, meum non est. Divini enim judicii est, nil boni geri in loco, qvem odium Cœli premit.

§. 6. II. Tempus harum mediationum varium est, vel enim *ante* cœptum bellum, vel *inter* arma satis ambigua, vel *jam & inæqvalia*, vel *post* extremam *cladem* de reconciliandis partibus cogitari solet. *Primum* longè optimum, ut *Principiis obstes*. *Pudor* magno conatu nihil agendi, & minas ferociter editas, irritas; *Dolor*, impensas frustra factas; *Fiducia*, vires florentes intuiti; *Amor novarum rerum & noxæ in exosum*, dum tument animi, ægrè vincuntur: Nec ut penset qvis sumtus & concedat de suo, promto jam apparatu, *spe pari*, adducitur.

§. 7. *Proximum* & vulgò laudatur, *sub clypeo* pacificandum; qvod emblema vetus, elegantiâ interpretis renovat Savedr. Sanè oportunè: Mars enim adhuc dum dubius, integra utrinq; fama, & copiæ ad lætiores usus commodæ, Medianti non exiguos successus pollicentur. Ita Scipio Afri-

canus Antiochum M. monebat, *nullam pacem abnuere*. Et Philippus Maced. R. cum *cedendum Thessalonicâ* diceret Dux hostium, indignabundus: *qvid gravius victo imperares!* exclamabat, abrupto mox colloqvio. Sed brevi versâ fortunâ frustra repetiit colloqvium, totis provinciis cedere coactus post prælium. Cujus exempli neglectu Perseus filius regno penitus excidit. Est verò, & *Partium ingenium* non rarò pronius vel (1) in *voluptates*, ac alieno magis instinctu qvàm proprio studio ad bellum tractum. Eò non inviti oblatam concordiæ rationem probant. Talem Henricum III. Valesium Galliæ R. bellis intestinis *Thuanus*; & *Cominaeus* Edvardum III. Angliæ R. bello in Ludovicum XI. id probè perspeculatum, ac Londinenses comites, describit. Vel (2) in *pristinum amorem*, uti rebelles milites à Valerio Corvino & Qvintio ad Lautulas conciliari cum Romanis copiis *Livius* memorat.

§. 8. *Tertium* rapit, non vocat, Pacificatorem. Sic Aetoli, re inclinatâ, Qvintium, Athenienses, & qvos non? Ipse J. Cæsar & Pompejum & Socerum ejus per Internuncios crebro interpellabat, defungi hoc periculo honestè cupiens. Moscus Io. Basilides infelici bello cum Polonis cupidissimè exosum alioqvin Romanum Papam prensabat, ut interponeret sese. Nam Plescoviæ expugnatio metuebatur, & inde mala pristinis longè graviora.

§.9. 3. *Qvartum* serius est; Ut Rhodii eo peccarint, antea indicavimus. Officia enim è *statu* æstimantur, qvo non integro qvi nos sollicitat ad moderata, invidere creditur fortunæ. Eò indignabatur Galliæ Rex Hispanos, post rem à se constitutam, intervenire Venetorum & Papæ Pauli controversiis velle. Tam ille vanus animi, qvàm fallius judicii, utpote ignarus, Papam in occulto ea pacta dudum Hispanis communicâsse, & iis approbantibus iniisse. Larva Mediatoris Gallo relicta est.

§.10, Id demum non dememinerim, *Mediatorem*, ut medicum, *captare momenta* concordiæ; semel repulsum partium

mu-

mutuâ obſtinatione, repetere preces, monita acuere, & prout fortuna volubilis bello aliovè (nam & *privatorum* cauſæ huc pertinent) diſſidio errat, flectere. Ea omninò patientia opus eſt, nil fatigari morâ, nil repulſâ; d. *veri* amici fidem ſollicitudine perpetuâ approbare. Cujus non ſpernendum documentum Athenienſes pro Aetolis ap. Romanos & *proximo Seculo* illi inter Noribergenſes & Albertum Interceſſores edebant.

# CAPUT VII.
# OPPOSITA SPECULATUR.

§. 1.

Deniq; & *Oppoſita* videnda, nam ut finis executione ultimum eſt, ita ab extremo hoſtilitatis ad hoc amicitiæ tranſeundum per media. Remoras heic plurimas occurrere nemo ignorat. Id verò & aliqvandò *utiliter* fieri, & *licitè* dixeris. Ut igitur, niſi poſitis *omnibus* ad *agendum* reqviſitis *eodem* modo ſe habentibus, potentia in actum non tranſit; perinde, cur Pacem aliqvando non impetremus, variis principiis debetur: qvæ jam tria ſunto I. *Defectus* Mediationis, tanqvàm privativum. II. *Recuſatio*, Contradictorii vim habens. III. *Impedimentum*, negotio jam ſuſcepto, ut Contrarium.

§. 2. I. Deficere non raro Conciliatores, humanæ vitæ mala teſtantur, pleriſq; controverſiis ἀσπόνδοις & nullo mitiorum autore agitatis. Unde vel *ipſi* mutuis cladibus feſſi inter ſe conveniunt; vel *alter* hoſtilis cruoris odore exatiatur cum Vitellio; vero tum leonis mortui & cuivis viliorum injuriæ obnoxii Symbolo ap. Savedr. *Symb. 99.* Hoc Aſiæ bella, hoc Romana & Turco-Chriſtiana variè probant. Privatorum contentiones nil parcius recenſent. Id verò & potiſſimum vitio *tertii* fit, qvia ſuâ parùm intereſſe exiſtimat, qvæ fortuna certantes abſumat; vel gaudet, iſtos mutuis odiis atteri, ſe incolumi; vel timet, ne ſui officii malam gratiam referat. Sanè

inter *fores & cardinem medium comprimi*, verbum vulgi eſt. Eoq; nec *omnis* neglectus talis ſtudii improbabilis videatur. Divinæ juſtitiæ ſpecimen hoc erat, nec ipſam partem, nec interceſſorem de pace agere, cum Joſua *Terram ſanctam* occuparet, ut ipſe *cap. 11. v. 19.* indicat, ut ſcias, per ipſum hoc non ſtetiſſe, qvò minus ſervarentur.

§. 3. Planè enim æſtimari debet (1) *ex natura* ipſius *controverſiæ*, utrum nempe præſtet, bellum ſummâ vi ab utraq; parte geri, an pacem iniri? puta an bellum, an pax magis proſit vel litigantibus vel tertio, *e. c.* ad Dei gratiam, ad decus verum, & cujus contrarium, bello poſito, ſeqvens conſcientiæ *rectæ* ac *ſaluti publicæ* per ſe repugnet?. (2) è *qvalitate pacificatoris* hæc qvæſtio decerni debet, nempe ſi *Mediator* in alteram partem magis inclinet, ſitq; ineptus, injuſtus, partibus qvoq; minime gratus; tunc conducere videatur ut mediationes ad minimùm *differantur*, & impedimenta ſpecioſa reperiantur, qvibus propoſitæ qvæſtiones irritæ fiant.

§. 4. II. *Contradictoriè* mediationi opponitur *recuſatio* pacificationis, ſive illa fit, qvando *palam* omnem mediationem rejicimus, ſive *generis certi*, ut ſi (1) *perſonas*, vel *principalem præſentem* vel *legatos*, eosq; jam *miſſos*, recuſas admittere. Nec vero nulla ratio eſt, cur aliqvando nolis, utut pacis cupiens tecum aut cum tuis hominibus *præſentem* agere Mediatorem, aut *ſelectum* gratioris miſſi poſtules. Item (2) qvando *locum* mutatum volet, per indicata ante motiva. (3) *Tempus* actionibus his indictum abhorret (4) Modumq; agendi alium poſtulat, & (5) conditiones ab iis de qvibus ſuboluit, alias proponi, & omitti propoſitas. Id qvidem *licere* partibus nonnunqvam & *neceſſarium* eſſe dicimus. Uti verò *contradicere* videtur, qvi & *implicitè* negat, quæ alter ſtatuit; Sic *Recuſatio* vera eſt cum verbis facilem, facto averſum te oſtendis, affectatis *moris* & conditionibus *præparatoriis*, qvibus ſtantibus ad rem venire nunqvam licet. Ut Riarius Papæ legatus miris artibus

dilatus.

dilatus per Hispanos ne ad Regem, nisi *serò* admitteretur, in causa Portugalliæ impediebatur. Thuan. *lib. 70.* item intercessores pro Landgravio Hassiæ capto variè dilati & elusi promissis, apud Sleidanum.

§. 5. Qvod attinet *contraria* in specie sic dicta sive *Impedimenta*, horum *Originem*, & *Scopum* considerare juverit. Qvod attinet eorum *originem*, ea est I. ex *objecto Med.* & partim 1. *Materiali*, nempè, cum conditiones satis tolerabiles proponuntur, easdem verò Partes rejiciunt, nimiopere injusta cupiunt, falsæ opinioni summi juris, spei avaræ, odio concepto firmiter inhærent, &, velut Timotheo illi Attico, *ap. Nepot. fortunam sibi famulari* credunt. Qvales serò sapientes J. Cæsar graviter notabat; ut rebus adversis avidissimè capiant qvæ oblata pridem superbè fastidierunt. Ruunt etiam alicubi obstinatis ad suam perniciem animis, uti *Triduum ad moriendum* Abydenis datum, Samei Cephaloniæ nulla causâ in rabiem versi, &, qvæ omnia exempla anteit, Hierosolyma ultimo excidio pervicaciam suam implens, docent.

§. 6. 2. Ex indole objecti *formalis* id provenit, ut negotio perplexo, vario, & cum unde, cui suum reddatur, nuspiam rationes comparent; Eoqve vel satis proni in concordiam animi non suo vitio distinentur. Hoc imprimis *pacis Germaniæ Tractatio* olim ostendit, rebus tam intricatis, & eorum qvorum interfuit, rationibus subinde refragantibus. Undè maturè providendum est *tertio*, an *suis* viribus æqvam materiam subeat, ne, qvod in Sabaudiæ Duce, concordiam cum Gallis αὐτοπροσώπως Parisiis mox initum iri præsidente, Mediator imprudentiæ exemplum appareat. Ejusmodi enim hominibus accidit, qvod Polyb. *lib. 16. Excerpt. Hist. n. 19.* iis qvi, *cum è longinquo res intuentur, etiam ea, quæ fieri nequeunt, concupiscunt, accidere* dicit. *Illi ubi ad rem propius ventum, temere rursus inceptis absistunt, difficultatibus atque impedimentis, quæ occurrunt, oculis ipsorum caliginem offundentibus &*

*in varios errores ipsos inducentibus*; Ipsa enim rerum natura inhibet successum, ut desistere cogantur incepto. Id qvod cautè speculatus Papa Clemens VIII. Arbitrium à Galliæ Rege Henrico IV. & Sabaudiæ Duce de Marchionatu Saluziarum sibi delatum maturè deposuit, ne eventus irriti dedecus & molestia sui unius esset. Thuanus.

§. 7. II. *Principio* seu Mediatori ipsi eadem non minus deberi solet. Ut 1. *imprudentiæ*, à cognitione *status* rerum *præsentis, in sui conciliatione* prævia, in *ordine negotii* recto, in *conditionibus eliciendis*, in *obstaculis*, qvæ subinde prominent, removendis. Qvorum *primo* impegisse Papam & otiosos ejus ministros in remorando Hispaniæ R. à Lusitaniæ occupatione, enucleatè ostendit Thuan. *d. l.* 2. *affectui* inconsulto, ut *amori odioque*; sive in *materiale objectum* (1) scil. partes, qvas vel inæqvaliter, vel pari odio respicit, ut simul pereant; sive in *formale*, nempe in *caussam*, unde sibi voluptatem fructumq; destinat: eoq; vera media modumq; agendi sponte deserit corrumpitqve; sive (2) *Actione* remissiore, per incuriam & ignaviam, ubi aut *complacentiâ* solâ ire sinit, quo poterunt, negotia; aut *vehementiori*, per impatientiam potiundi optato eventu, impetu connititur. Qvo loco gravis qvæstio est: *an non repugnet Mediationis naturæ, si unus pluresve denuncient Partibus, qvibus legibus inter eas videatur pax ineunda? ac sive pari contumaciâ, sive alter, abnuerint, in recusantem arma pro pacificâ parte latum iri?* *Repugnare*, dices. Cui nil admodum moræ injicit pro affirmativâ (1) hoc modo qvem sese arbitrum invito alteri non obtrudere, aut ipsius litem pro imperio decidendam sumere, nec partibus ejusmodi placitum offerri eo modo, qvasi illo standum sit. (2) animum æqvitatis & pacis cupidum sic declarari, qvod optet Mediator alios honestis conditionibus transigere, nec in bellum priùs devenire velit, qvàm amica compositio ab altero sit repudiata. (3) facilius per hunc modum bella

posse

posse extingvi, aliàs grassatura ad internecionem. Si énim *Mediatio* est actio tertii intervenientis honorabili solùm titulo *Concordiæ*, an cum illâ vis istiusmodi consistet? aut amici communis fuerit, recusantem pro hoste habere, nullâ in Mediatorem apparente offensâ? Certè cum soli Deo aliive superiori; si qvem habent, reddatur ratio actionum suarum à talibus? Romani à Campanis sollicitati ut se defenderent contra Samnites, neutiqvam assensêre, donec *deditio* fieret, & reverà *suum jam* tueri possent: rejectâ etiam Sidicinorum deditione, ut *serâ*. Siqve supponimus; *per jus naturæ posse defendi eum, qui videtur injuriam pati*; id verò si fiat, mutat naturam Mediatoris in *aliud* genus agentis. Qvod ipsum dices, cum *proprii* periculi respectus ad arma socia perpulerit. Eo & novissimi temporis conjunctiones pro asserendâ Parte, pacis cupidiore, pro Mediatoriis agnoscere perqvam grave est. Qvicqvid horum fit, ostentui, non exemplo tribuendum. (2) Num si *vis* Partis in Mediatorem *ex aliâ caussâ* tetenderit; aut si (3) Mediator Partem vel unam vel utramqve *ex alio capite* invaserit; aut (4) Si Lites *civiliter agitatæ* inter Mediatorem & Partem sive *indecisæ*, sive *noviter ortæ* sint, Mediatio rectè procedere intelligatur? Resp. ad 2. 3. Negando, non ex unâ sanè qvæstionis qvam anteà conciliandam sibi sumsit, sed subjectorum, inter qvæ mutuus de rebus tractandis sensus perit, indole. Ad 4. Resp. Affirmamus. Licet facilis ad alienandos animos & operam in irritum redigendam via sit.

§. 8. III. *Tertio*, qvalem dicunt (1) *Fatum* sive Dei voluntatem, qvod nec inspiret salubria agendi tum consilia, tum studia, imò immittat turbas, & odia inplacabilia. Verum *malorum hominum* qvidem studia, ad divini Nominis dedecus, ad perniciem publicam coitura rectè & turbatum iri & confundi *divinitus* solere censeas. Cæteroqvin *nusqvam numen abest, si sit prudentia*, & obseqvens sanæ rationi & Deo pacis autori

animus.

animus. (2) *Genios malos*, vere; ut mendacio & homicidio primitus nobiles. Cujus exempla & profana & ſacra hiſtoria ſuggeret, *cavendi* etiam curam S. Scriptura non rarò inſtillat. Sed hos per *repræſentationem objecti* odioſi, vel ſui gratiâ *aliorſum* abstrahentis, movere potiſſimùm dicemus. In *filiis* qvos S. Scriptura vocat, *incredulitatis* ſive impiis etiam phantaſmatum errore meliorem intellectum impedire aliqvandò non abhorret. Qvamvis, in tam incerto Spirituum iſtorum motu, pronunciare difficillimum ſit; ac illa oraculorum, jam ἡσυχίαν ſive pacem, jam dubio ſenſu motum ſuggerentium, indoles nobis non niſi à poſteriori, & per principia cum rationis tùm revelationis divinæ, qvadantenus innoteſcit. (3) *Alios homines*, qvi vel pravitate animi, vel imprudentia vel ſuâ neceſſitate ſufflaminant proceſſum negotii, ſc. objectis Mediatori diverſis laboribus, ne vacare poſſit inſtituto, dum ſibi, vel qvod aliàs urgentiùs putat, ei proſpiciat; Sic Ejus Partiumve miniſtris eò deſtinatis, vel loco vel alio incomodo intricatis, ne res omninò, certè pro tempore exitum non habeat. (4) *Naturales Cauſſas*, ut ſunt Morbi, Mors, Tempeſtas ac Talia; De qvibus diſtinctè diſſertare, propriam opinionem interponere, exempla contrahere, & monitis opportunis componere: Nec minùs, *De ſecundâ Parte Argumenti*, initio propoſitâ, vel hiſcere modò vetor; cum iſta in procinctu ſtans libare ægrè potuerim. Eoqve proficiſcenti & forte Muſonii Rufi *de Bonis Concordiæ* inter armatos differentis fortunam *ap. Tacit. Hiſtor. lib. 3. c. 81.* experturo, ut *Tubæ Pacis* autor egregius præcavet ſibi, tantiſper venia dabitur,

*dum ſperata qvies noſtris ſe infuderit auſis.*

S. D. G.